MARTINI SCHOOCKII DIATRIBA ACADEMICA EXPLICANS NATURAM &...

Marten Schoock

Digitized by Google

Digitized by Google

1089. 16

Digitized by Google

A

B

MARTINI SCHOOCKII

DIATRIBA ACADEMICA

Explicans naturam & conditionem

LIBERI ARBITRII

AUCTA

Mantiſſa quarundam Theſium, publice ad diſputandum non propoſitarum, ne violaretur Lex Talaria

Quæ vetat alienum arvum ingredi.

MED·D·PALAT.

GRONINGÆ,

Apud HENRICUM LUSSINCK, Typographum.
ANNO 1659.

BENEVOLO
LECTORI SAL.

N*On abſque ratione aliquis cenſeat, me rem actam agere, quod poſt tam multas commentationes virorum ſummorum* de Libero Arbitrio, *cedro ſane digniſſimas, ſordidas has chartas, tumultuario collectas, atque male à Typographo exceptas, orbi erudito, & nimium quam delicato, offerre juſtineam: Sed, quum poſt uberrimã aliorum meſſem, qualecunque ſpicilegium ſupereſſe viderem, quantum ego capitecenſus, cui ad Orcheſtram & Quatuordecim non patet aditus, hic poſſem, tentare ſuſtinui. Fateor, multa explicatius dici potuiſſe. Cæterum multum intereſt inter velitationem Academicam, atq; volumen juſtum quod in molem jam excreſcens, affectum habeo, & cujus hæ Theſes breve ſunt ſummarium; quod ideo publice offero, quo explorato iudicio aliorum, (quos me longe & doctiores & accuratiores, jure agnoſco) exemplo Apellis, poſt tabulam interea latitando, deſpicere poſſim, quænam aut corrigere, aut validioribus rationibus firmare debeam. Univerſitati, ſecurus quorumcumque hominum (quos conſtat ad unum omnes mendaces eſſe) lito & litabo, quamdiu vitam Deus clementiſſimus ex gratia (ab hac ſola pendeo, & pendebo) prorogare*

rogare voluerit. Quum, quandiu vivimus, proficiamus, & proficere debeamus; æque paratus ſum proprias opiniones jugulare, atque fateri debeo [lubens hoc facio] me hominem eſſe. Nec tamen, quoniam per Dei gratiam nunquam fui ἀνθρωποπάρεσκος, *ullius hominis authoritati tantum deferam, quantum rationi, ut homo rationalis deferre debeo. Subtiliſſimi [utinam pariter ſolidiſſimi!] Dn. Cameronis opinio, de ultimo judicio practicoIntellectus, quaſi determinante voluntatem, quibus ex ipſis Orthodoxis Theologis, hodie non placet? Nec tamen [ut alias prolixius oſtendam) argumentis ipſius tantum pondus ineſt, nec etiam ſententia hæc haberi debet ſecuris Tenedia, qua Remonſtrantium ſtrophæ poſſint ſolerter confringi. Patior lubens, ut alij à me diſſentiant, modo eandem libertatem mihi concedant, circa illa, quæ dum viatores ſumus, per ſpeculum & ænigma ſolummodo cognoſcimus. Quantum Theologis Profeſſione deferre debeam, circa ea, quæ ex ſolo Scripturæ lumine cognoſci poſſunt, apprime novi. Interim in quæſtionibus mixtis, Philoſophis Orthodoxis & Scripturæ ſe ſubjicientibus, fas quoque eſſe ſuffragium dicere, contendo. Quantum autem in hac ardua Quæſtione præſtiterim, arbitrare, mi Lector, conatibuſque hiſce, ſi mereantur, fave, ſimul vale.*

ERRATA.

Phalmata irrepſerunt plurima, quæ ſi altera editio non tollat, ſaltem minuet. Duo cumprimis notari velim. Th. 33. turbatus eſt numerus aſſertionum, atque pro ſeptimo *legendum:* ſexto, *& conſequenter correctio inſtituenda in Theſibus ſequentibus. Th. 39. l. 3. tolle verba:* Libertati ejuſdem, *& mox pro* nam lege ſiquidem, *tollendo illud ex linea* [illegible]

DISPUTATIO PRIOR DE NATURA LIBERI ARBITRIJ.

RESPONDENTE

ARNOLDO GOICKER Zutphanienſi.

QVum non modo Liberi Arbitrij natura, omni ævo, virorum ſubtiliſſimos, propter ſui difficultatem maximam, admodum exercuerit; verum etiam illius ratio, diſtincte intelligi debeat à ſtudioſis, tum Naturalis, tum Moralis Philoſophiæ; decrevimus, aſpirante Dei Opt. Max. gratia, Philoſophice inquirere in ejuſdem eſſentiam: quod, quo rite & ordine fieri poſſit, initium à voce facturi ſumus:

Theſis Prima.

QUod ergo ad Liberi arbitrij terminum, antiquiores Philoſophi Latini, qui cum Cicerone aut vixerunt, aut paulo poſt eum, Romæ philoſophati ſunt, eundem ignorarunt. Nec Græci quoque, quid, eidem æquivalens per omnia, agnoſcunt. In Ariſtotelis Liceo agnoſcitur quidem ἐλευθέρα προαίρεσις; *Libera electio*: & in Stoa Zenoni τὸ ἐφ' ἡμῖν, ſive, *illud, quod in nobis, ſeu in noſtra poteſtate ſitû.*

eſt: neutrum tamen ex amuſſim, ipſi *libero arbitrio* reſpondet. τὸ αὐτεξούσιον in Platonis Academia receptum, propius ad naturam illius videtur accedere. Quod vero plurimi ex Græcis Patribus, ex Academia, innutriti Platonicis dogmatibus, ad Eccleſiam tranſirent; vox hæc ab ijs primitus frequentata fuit, & circa ſublimioris Philoſophiæ dogmata, ſeu Myſteria Theologica, uſurpari cœpit. Quamvis Origenes in Dialogo cum Magetio, & alibi (prout infra patebit) diſtinguat inter αὐτεξούσιον & παντεξούσιον; atque hoc, ſic Deo ſoli ſecundum eſſentiam convenire contendat, ut illud homini ſolummodo per participationem aſſignari poſſit: atque Iuſtinus Martyr, idemque Philoſophus, ut Synonyma hæc tria frequentet. 1. αὐτεξούσιον. 2. ἐλευθέραν προαίρεσιν. & 3. τὸ ἐφ' ἡμῖν: quaſi hac ratione Academicos, Peripateticos, & Stoicos conciliare voluerit. Irenæus frequentat τὴν ἐξουσίαν προαιρέσεως, ac ſi dicas, poteſtatem electionis. Chryſoſtomus Hom. 60. in Matth. ſimpliciter ἐξουσίαν vocat, eamq; τῇ ἀνάγκῃ opponit. Vox αὐτεξούσιον, è Schola Platonis ut dictum derivata, licet vulgo inter Chriſtianos cæperit frequentari; ut &, (teſte Hieronymo lib. 3. Dialog.) ἡ αὐτεξουσιότης: ſi tamen ratione hominum conſideretur, ſuperbi nimis tituli rationem habet, quum ſignificet idem, quod αὐτοδέσποτον, atque conveniat uni Deo, qui ſolus eſt αὐτόνομος καὶ αὐτόδικος. Eoque, reſpectu illius caute procedendum eſt. Certe, iſtu ho termino hoc abſtinuiſſe videtur Socrates, ſiquidem lib. 1. Hiſt. Eccl. agens de Mane, dicit, τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀναιρεῖ: cum ſignificare vellet, eum homini Liberum arbitrium naturale denegare. An vox Græca, τῷ αὐτεξουσίῳ æquivalens, in N. T. occurrat, quæritur haud abſque ratione? Viri multi egregij exiſtimarunt, Liberum arbitrium per ἐξουσίαν θελήματος, deſignari 1. Cor. 7. 37. at, ſi ad antecedentia, & conſequentia, itemque ad Apoſtoli ſcopum attendam, videtur aliud quid innui. Propius accedunt τὸ ἑκούσιον Philem. verſ. 14. Hebr. 10. 26. προαίρεσις 2. Cor. 9. 7. & τὸ αὐθαίρετον, 2. Cor. 8. 3. Interea, receptum prius in Eccleſia à Patribus Latinis *Liberum arbitrium*, tranſijt ad Scholas Philoſophicas, in ijs quæ frequentatur; Tertullianus vocat *libertatem ac poteſta-*

poteſta-

poteſtatem arbitrij; Auguſtinus ſæpe *liberam voluntatem*, & *poteſtatem voluntatis*; Lactantius lib. 4. Divin. Inſtit. cap. 11. *Liberam facultatem*.

II. Quod vero utraque vox, *arbitrium* ſcil. & *liberum*, quas circa ſe difficultates habeant, priuſquam ulterius pergimus, ne forte deinceps, in hoc progreſſu, difficultatem aliquam pariant, diſtincte conſiderabimus: nec tamen velut Enunciationem, quæ conſtet ſubjecto & prædicato, ſed tanquam terminum complexum. 3. Quod ergo ad arbitriũ, dictũ ab *arbitrando*, [ſi credimus Auguſt. lib. 3. Hypognoſt.] vel, (ut Grammaticis placet) *ab arbitrio*. Utrumvis dicatur, parum intereſt, atque utraque Etymologia genuinum vocabuli ſenſum ſufficienter explicat: Cum enim *Arbiter*, ſecundum Paulum Feſti Abbreviatorem, ejuſmodi judex ſit, qui *totius rei* inter litigantes *facultatem habet*: Arbitrari autem ſit, arbitri munere fungi, ſeu litem ex voluntatis placito dirimere; hinc factum eſt, ut ſententia, quæ ab arbitrio, aut arbitro, aut arbitris ſtatuitur, jam olim à primæ notæ Scriptoribus Latinis, dicta fuerit *Arbitrium*. Quanquam autem circa arbitrium, ſignificatione forenſi conſideratum, requiritur tum conſultatio; (hæc ad intellectum pertinet) tum illud, quod poſt conſultationem, eligendo (hic eſt actus voluntatis) ad modum ſententiæ arbitris, velut delegatis judicibus, partibus litigantibus edicere placuerit: Plurimis tamen, occaſione hujuſce termini complexi, placuit hanc quaſi diſtributionem inſtituere, ut arbitrium ſit intellectus, liberum vero voluntatis. Quod neutiquam approbare poſſumus ob duas rationes. Poſteriorem, ut licebit ex illis, quæ deinceps dicenda erunt, colligere; ita prior hæc eſt, quod *arbitrium*, apud Claſſicos Scriptores Latinos, ſæpe ſignet ſi non ipſam voluntatem, ſaltem electivum voluntatis actum, qui intellectus arbitrationem conſequitur. Inde Cicero Orat. in Rullum: *Ob ſummam tantæ pecuniæ, nullo teſte ſibi ipſe ſuo arbitratu & ſua voluntate feciſſet*. Atque ita ſecundum Icc. *arbitrium* ſæpe notat voluntatem liberam: quomodo V. C. Paulus leg. 22. §. 4. dicit: *Prætorem permittere arbitrium, utrum jurejurando rem decidere velit*. Eodem ſenſu Cicero in Philippicis dicit:

 quom-

Antonius in ſua poteſtate nunquam fuit; nihil unquam arbitrio ſuo fecit, ſemper eo tractus, quo rapuit libido. & Curt. lib. 7. *Mileſiis liberum de Branchiadis permittit arbitrium.* Ut non ſit audiendus, qui hic aliis præivit, Petrus Lombardus Magiſter Sententiarum, quando lib. 2. Sent. cap. 24. lit. E. contendit arbitrium pertinere ad ſolam rationem. Vox arbitrij vero, præ voce judicij, quæ tamen multo commodior videri poſſet, ideo ſecundum Bellarminum lib. 3. de Grat. & Lib. arb. cap. 2. ex uſu prævaluit, quod ex conſuetudine foreuſi, arbitri (utpote nullis certis legibus aſtricti) quoad ad dicendam ſententiam, præ judicibus longe liberiores cenſeri conſueverint.

III. Quod ad vocem *liberi*, ea admodum ambigua eſt, atq; varias notationes habet. Liberum vero Græcis ἐλεύθερον eſt, quæ vox in eodem ſenſu uſurpatur 1. Cor. 7. 39. Alias, ut ex parte modo notatum fuit, in N. T. occurrunt ἑκὼν & ἑκούσιος 1. Cor. 9. 17. & ad Philem. 14. item ἑκουσίως; Heb. 10. 26. 1. Petr. 5. 2. Similiter Paulus, ſibi & Barnabæ tribuit ἐξουσίαν φαγεῖν καὶ πιεῖν, & ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, & ἐξουσίαν τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι. Ut autem ratio vocis Latinæ per omnia pateat, omiſſa ejuſdem Etymologia, de qua alias inter Grammaticorum filios non convenit, Libero apud Latinos non invenias Synonymum: proxime ad illud accedit, apud Ciceronem potiſſimum, vox *ſolutus*. Inde hæc duo ſæpe κατ᾽ ἐξήγησιν conjungit. Sic legas in Academicis Quæſtionibus: *Hoc autem liberiores & ſolutiores ſumus, quod integra nobis eſt judicandi poteſtas.* Et contra Rullum: *Conſul ſolutus à cupiditatibus, liber à delictis.* Atque ſic cogitare quis poſſet, *Liberum* dici παρὰ τὸ λύειν, ut *Liber* ſit ὁ λελυμένος. Quo facit ſingularis Plauti locus Menæchm. act. 5. ſc. 7. ubi ſic legas. Mi. *Sine igitur, ſi tuum negas me eſſe, abire liberum.* Me. *Mea quidem hercle cauſſa liber eſto, atque ito quo voles.* Liberi vero ſignificationes multæ ſunt, quas enumeraſſe, haut abs re fuerit. 1. Ergo *liberum* opponitur illi, quod vinctum, conſtrictum, aut inplicatum eſt, & conſequenter ſignat ſolutum à vinculo eſſe: ſecundum hanc ſignificationem rebus quoque inanimatis tribuitur. Ut quando Cicero dicit lib. 2. de Nat. Deorum: *Sphæra ſtellarum in-*

errat-

errantium ab æthereâ conjunctione ſecretâ ac liberâ. 2. Liberum idem eſt, quod *immune*, quomodo aliquis dicitur eſſe liber culpa. 3. Idem ſignat quod *independens*, atque hoc ſenſu ſolus Deus eſt liber, ſiquidem eſt ens maximè independens. 4. Libertas, à qua aliquis liber cenſetur, opponitur ſervituti. Quo ſenſu definitur ab Imperatore Inſt. §. 1. de Jure perſon. *Libertas, eſt naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut jure prohibetur.* Quæ definitio (ut & multa alia, quæ in Jure Civili occurrunt) à Stoicis deſumpta eſt. Zeno enim apud Laërtium dicit: ἐλευθερίαν εἶναι ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, *poteſtatem gerendi in vita, quæ volueris.* Eodem ſenſu hi ipſi Stoici dicere ſolent, ſolum ſapientem eſſe liberum. Sic legas apud Ciceronem ex mente horum, Parad. 5. *Libertas non aliud, quam poteſtas agendi quæ velis, Quis igitur vivit ut vult, niſi qui recta ſequitur, cui vivendi via conſiderata, atque proviſa eſt, qui legibus non propter metum paret, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat, denique niſi libenter ac libere.* conſonat hactenus Auguſtinus lib. 4. de Civ. Dei cap. 3. ſic loquens: *Bonus etiamſi ſerviat, liber eſt, malus etiamſi regnet, ſervus eſt, nec unius hominis, ſed quod gravius eſt, tot dominorum quot vitiorum, de quibus cum ageret ſcriptura divina: A quo enim quis inquit devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt.* 5. Liberum cenſetur illud eſſe, quod citra impedimentum fit, quomodo, à Magiſtratu cenſetur hujus illiuſve religionis liberum exercitium concedi; ſi illi non objiciatur impedimentum ſive per perſecutionem, ſive per leges ipſius Magiſtratus, mulctam aliàs irrogare ſolitas, ijs, qui præſumpſerint ſacris vetitis in propatulo operari. Similiter, cenſetur aliquis tempore induciarum libere peregrinari per regiones hoſtium, eò, quod periculum ei non immineat, aut à captivitate, aut à latronibus. 6. Liber eſt idem, qui ingenuus; atque libertas ſumitur pro ingenuitate. Notabilis Textus occurrit in leg. ult. Cod. de Patr. Poteſt. ubi hunc in modum Conſtantinus Imp. ſcilcit: *Libertati à majoribus tantum impenſum eſt, ut patribus, quibus jus vitæ in liberos, neciſque poteſtas olim erat permiſſa, libertatem eripere non liceret.* Sed, an non parens, qui olim filium vendere poterat, libertatem eripiebat? Neutiquam. Si e-

nim parens filium vendendo potuiſſet libertatem eripere; (hoc eſt, ingenuitatem, quæ in hac lege per libertatem intelligi debet) utique filius manumiſſus, non ingenuus; ſed, ut reliqui ſervi, libertinus effici debuiſſet. 7. Apud Politicos, libera cenſetur eſſe illa reſp. quæ ſuis ſubditis legem ferre poteſt, citra neceſſarium conſenſum ullorum, ſive ſuperiorum, ſive æqualium. Atque, ſecundum hunc ſenſum Philippus III. Hiſpaniarum Rex anno 1609. per fædus induciarum, Belgium federatum declaravit liberum eſſe. 8. Apud eoſdem Politicos, ſpeciatim libertas opponitur Majeſtati Regiæ, licet in Imperio aut Ariſtocratico, aut Democratico, aut ex utroque mixto tantundem valeat. Atque ſic dicit Cor. Tacitus in veſtibulo Annalis primi: *Vrbem Romam à principio reges habuere, libertatem & conſulatum L. Brutus inſtituit.* Similiter apud eundem Agr. cap. 3 notantur *regnum & libertas*, quæ ut *res olim diſſociabiles Nerva Cæſar miſcuerit.*

IV. Omnes vero hæ notationes, licet utiliter hoc loco potuerint proponi, alienæ tamen ſunt à præſenti propoſito. Eoque ſignificationes quædam, ut magis Philoſophicæ hic conſiderandæ, priuſquam ad penitiorem ipſius rei inveſtigationem accedamus. Ergo (non curando diſtincte præcedentia ſignificata, velut ex parte aliena) I. Liberum, ſecundum latiſſimam ſignificationem, opponitur illi, quod non eſt coactum. Atque ſic, tum lapis dicitur libere decidere, tum Deus Pater libere Filium generare: licet modo per omnia diverſo. 2. Liberum ſecundum plurimos, hactenus Nominalium ſequaces, idem eſt, quod Græcis τὸ ἀδιάφορον, ſive *indifferens*. Unde ſecundum illos duplex quoque agnoſcitur *Indifferentia*: una *paſſiva*, & altera *activa*. Paſſiva propria eſt materiæ, quę ſuapte natura, eſt indifferens ad varias formas recipiendas. Activa libertas proprie ſolis entibus intelligentibus concedenda. Ideo non poteſt agnoſci ullo modo in illis, quæ Philoſophus lib. 5. Phyſ. tex. 8. dicit πρὸς ἓν τάττεσθαι. Ad quæ pertinent cauſſæ naturales, in ſpecie, atque oppoſitive ad cauſſas liberas ita dictæ: hæ enim ſiquidem, ut non gaudent indifferentia activa, ita agunt neceſſa-

neceſſario, atque ſpeciatim ſecundum neceſſitatem Phyſicam. Hactenus præcedenti hypotheſi admiſſa, non poſſunt indifferentes & ſimul liberæ cenſeri belluæ. Unde nec audimus illos, qui exiſtimant eas *libere* ſe movere, velut cornicem, de qua ſic Maro lib. 1. Georg. *Cum ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.* ἑκούσιον late ſumptum non denegandum belluis; nec tamen ijs in agendo concedenda libertas arbitrij, aut, ex mente Nominalium, indifferentia activa proprie dicta. Quod ut liqueat, cuncta aliquanto diligentius enodanda ſunt.

V. Ergo obſervetur, ἑκούσιον, quod Scholaſtici reddere ſolent Spontaneum, ſumi vel late, vel ſtricte. Illo modo ſi accipiatur; qua belluis, qua hominibus competit, Ariſtotele teſte, cujus hæc verba, occurrentia lib. 5. Ethic. Nicomach. cap. 8. notatu digna: τῶν δὲ ἑκουσίων, τὰ μὲν προελόμενοι πράττομεν, τὰ δ' οὐ προελόμενοι. *Eorum quæ voluntaria ſunt, quædam conſulto agimus, quædam inconſulto.* Atque hinc Gloſſographus longe doctiſſimus, non modo *Sponte*, reddidit ἑκουσίως: Verum iterum *Sponte*, προαιρέσει, ἑκουσίως. & ſic, ut ſupra Th. 3. notavimus, τὸ ἑκούσιον, ſecundum ſtylum ipſius Scripturæ τὴν προαίρεσιν implicat. Unde & Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 9. Spontaneum in homine & liberum arbitrium pro eodem ſumere videtur. *Sponte* [inquit] *homo, id eſt, libero arbitrio cadere potuit, non item ſurgere.* At ſi *ſpontaneum* accipiatur ſtricte, opponitur non minus libero proprie dicto, quam libero arbitrio: & ſic [licet Latini Philoſophi præeunte Boëthio non ſemper diſtinguant] aliud eſt ſpontaneum ſtricte ſumptum, aliud voluntarium. Nam ut hoc procedit à principio intrinſeco libero, quod ſequitur moderamen mentis, ita ſimul præſupponit notitiam finis, ut finis, & mediorum ut mediorum, ſecundum omnes circumſtantias. Nihilominus ſecundum latam ſignificationem apud ipſum Ariſtotelem dicitur ἑκούσιον: ſpeciatim lib. 3. Eth. Nicom. cap. 3. Ubi ἑκούσιον, conſiderando ratione actionis humanæ, ut liberæ, ſic eleganter definit ἑκούσιον (dicit) οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ εἰδότι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. *Spontaneum eſt id, cujus principium eſt in agente ſciente ſingula, in quibus actio eſt.* Spontaneum vero voluntario op-

rio oppoſitum & ſimul libero [alias quidam Scholaſtici, hic admodum ſubtiles, diſtinguunt inter voluntarium & liberum, quando dicunt Deum Patrem Filium generaſſe non *libere*, ſed *volentiſſime*] ut adverſarium eſt coacto, ita procedit quidem ab intrinſeco principio, non tamen implicat directonem intellectus, & cognitionem formalem finis, qua finis; ſed ſolummodo finis materialiter cogniti, ad modum rei convenientis. Hoc ſpontaneum, non modo competit brutis, ceu mutis pecudibus, verum etiam animadvertitur in ijs, quæ fiunt ab homine inconſiderate, aut citra conſiderationem, quales ſunt ferme actiones infantium, amentium, ac inſenſatorum: imo quorundam quoque ætate provectiorum, & alias mentis compotum, quoties impetu quodam, citra rationem & conſiderationem, in hoc illudve objectum feruntur.

VI. His prælibatis, ut ad rem ipſam accedamus: Hoc loco, Liberum implicans rationem intellectus, primo opponi potiſſimum debet coacto, deinde [non tamen ex mente Nominalium, atque, recentiorum Erronum] conſiderari ut indifferens active; atque ut conjungitur arbitrio, nihil aliud eſt quam ἑκούσιον νοητικόν: *Spontaneum intellectuale*, i.e. ſpontaneum, ſeu potius voluntarium, præeunte intellectus lumine vel judicio. Ut vero hoc liberum arbitrium in genere Entis (aliud agere non intendimus] convenienter poſſit intelligi, ante omnia conſiderari debet ſubjectum. Illud autem attendi poteſt, vel ut ſubjectum quod, vel ut ſubjectum quo. Subjectum quod, duplex eſt, increatum, & creatum. Per increatum ſubjectum intelligi debet Deus, cui eminenter liberum arbitrium competere, nec creaturis, niſi improprie atque reſtricte admodum, certius eſt, quam ut probari debeat: Ipſe enim eſt ſolus αὐτεξούσιος, à ſe, in ſe, per ſe liberrimus, omne jus poteſtatemque in omnia à ſe condita habet, atque cujus voluntas à nulla alia cauſſa pendet, regiturve,le omnia ab illa. Hæc Dei libertas eſt πρωτότυπος illius libertatis, quæ occurrit in entibus creatis. Atque, hoc ſenſu non inconvenien illud Origenis Dialog. 3. Adverſ. Marcion. τοὺς ἀγγέλους καὶ τοὺς ἀνθρώπους αὐτεξουσίους λέγομεν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ γεγονέ-

γενῆσθαι, ἀλλ' οὐ παντὶ ξουσίους. Creata, quæ libera habentur, ratione ſubjecti ut quod, ſunt duum generum: Alia immateriata, ut Angeli: alia materiata, ut homines: illa naturam ſuperiorem duntaxat, hæc & ſuperiorem & inferiorem participant, & pro communi actionum ſuarum principio agnoſcunt. Quamvis vero Deo cum creaturis intelligentibus conveniat, quod agat ἑκουσίως, & ἐκ προαιρέσεως. In tribus tamen maxime diſſentiunt. 1. Reſpectu intellectus (qui quomodo in libero arbitrio debeat agnoſci, poſtea liquebit) quia Deus omnia ex ſe & in ſe perfectiſſime intelligit: Creaturæ vero nec omnia intelligunt, nec quæ intelligunt, perfecte; ſed ſolum quantum Deo placuerit revelare. 2. A parte voluntatis, Dei enim voluntas independens à nullo extra Deum regitur; creaturarum vero liberarum actiones omnes Dei moderamini ſubſunt. 3. Reſpectu modi intelligendi, Deus ſiquidem intelligit citra conſultationem proprie dictam, cum creaturæ intelligentes, maxime homines, nequeant intelligere niſi conſultatione prævia.

VII. Sed, ſepoſito Deo & Angelis, conſiderabimus deinceps hoc ipſum Liberum arbitrium, à parte hominis: atque ut τὸ ὅτι ante τὸ διότι, in accurata rei alicujus tractatione attendendum: Primo expendendum eſt, an homo quoque Liberum arbitrium habeat. Manichæos liberum arbitrium homini denegaſſe certum eſt, atque ſupra adduximus Socratem, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptorem, de Mane, ductore horum Hæreticorum, hoc affirmantem De Simone Mago, idem teſtatur Author Recognitionum, quæ Clementis nomine circumferuntur; quamvis errorem hunc illi nemo alius ex veteribus attribuat. Hominem autem gaudere libero arbitrio (in cujus naturam poſtea diſtinctius inquiremus) ambigere non licet. Nam *primo*, omnibus hominibus per experientiam hoc videtur notum eſſe, ex eo, quod conſultant. Quæ conſultandi facultas utique homini fruſtra data fuiſſet, niſi in hominis arbitrio foret, exequendi libere illa, de quibus aliter conſultare potuiſſet, prout egregie argumentatur Nemeſius cap. 41 de Nat. Hom. quem more ſuo exſcripſit Damaſc. lib. 2. de Fide Orthod. cap. 42. *Se-*

cundo ſi homo libere non ageret, nulla illius actio cenſeri poſſet moraliter vel bona, vel mala. Ut enim bene agere idem eſt, atque ad honeſtatem & legem naturæ actiones ſuas componere; male vero agere is dicatur, qui cum aliter poſſit, à norma hac recedit: conformari autem ad honeſtatem & legem nihil proprie poteſt, niſi id quod fuerit in poteſtate illius, qui conformare voluerit. *Tertio* ſi liberum arbitrium homini denegandum foret, tollerentur è ſocietate humana præmia & pænæ, quibus tamen, velut vinculis, conſtringitur & continetur. Nam ſi nemo libere foret bonus aut malus, neque bene agendo præmium, neque male agendo pænam mereretur. Egregie Clemens Alexandrinus lib. 1. στρωμάτ. *Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec ſupplicia juſta ſunt, ſi anima non habeat liberam poteſtatem & appetendi & abſtinendi; ſed ſit vitium involuntarium.* Atque, hac ratione, homo maxime à belluis diſtat, cum quibus licet hactenus ei conveniat, quod ſponte [prout antea vidimus] agat: longe tamen perfectiori modo, eſt agens ſpontaneum atque illæ: belluę ſiquidem ſic ſponte agunt, ut tamen agant duntaxat pro rei apprehenſione, atque naturali ſubjecti inclinatione; quum homo, qui anima intelligente gaudet, amplius ex conſilio, & quidem deliberato agat. Quare de belluis non inconvenienter dixit Damaſcenus lib. 3. de Orth. Fid. cap. 14. ἄγονται γὰρ μᾶλλον ὑπὸ τῆς φύσεως ἤπερ ἄγουσι. *Moventur enim magis à natura, quam ut ipſæ moveant.* & iterum lib. 2. cap. 22. ἡ γὰρ τῶν ἀλόγων ὄρεξις, μὴ οὖσα λογική, οὐ λέγεται θέλησις. Homini hactenus liberum arbitrium concedendum eſſe, ſuo pariter calculo, quot quot unquam accuratius philoſophati ſunt, omnino exiſtimarunt. Ita Plato docuit, animum noſtrum liberum eſſe, inque illius poteſtate ſitum eſſe, ut agat vel non agat, cum cogi non poſſit, prout videre eſt apud Academicum non incelebrem Alcinoum, de doct. Platon. cap. 26. Idem accurate diſputat Ariſtot. lib. 3. Eth. Nicom. cap. 5. & iterum obiter lib. 9. Metaphyſ. tex. 3. Quin & Cicero toto libro ſecundo de Divinat. eo uſque libertatem arbitrii evehit, ut omnem Divinationem, imo, quod abſurdum eſt, ipſam Dei præſcientiam, ratione futurorum contingenti-

gentī-

gentium tollat. Unde Auguſtinus lib. 5. de Civ. Dei cap. 9. Ciceronem refutans, cum falſe ejus errorem hoc dicto notaſſet *Dum vult facere homines liberos, facit ſacrilegos.* Proxime hæc ſubjicit: *Religioſus animus utrumque eligit, utrumque confitetur, & fide pietatis utrumque confirmat.* ſcil. & providentiam Dei, & ſimul contingentiam atque libertatem voluntatis. Quod ad Libertatem voluntatis, eam agnoſcit ipſe Epictetus, profeſſione licet Stoicus, (in vulgus notum eſt, quantum Stoici F to tribuere conſueverint] ſic enim loquitur cap. 2. Enchir. *Rerum* (inquit) *aliæ in noſtra poteſtate ſunt, aliæ non ſunt. In noſtra poteſtate eſt opinio, appetitio, deſiderium, averſatio, &, ut uno complectar verbo; quælibet noſtræ actiones.* & paulo poſt: *Ea quidem, quæ in noſtra poteſtate ſunt, libera ſunt, nec impediri à quoquam poſſunt: quæ autem non ſunt in noſtra poteſtate, ea infirma ſunt, ſervituti & impedimentis obnoxia.* Operæ pretium fuerit, conſulere Simplicium, ad hunc locum. Ex antiquis Doctoribus Eccleſiaſticis, præ omnibus alijs, hoc quam luculenter oſtendit Auguſtinus, cum libris tribus ex profeſſo de libertate arbitrij, tum lib. 5. de C. D. cap. 40. Imo, quiſquis ex hominibus unquam vere ſe agnovit hominem eſſe, pariter liberum ſe eſſe faſſus eſt. Ut mirandum ſit, Viro Dei Calvino, à varijs Pontificijs Doctoribus, jam olim objectum fuiſſe, quod homini liberum arbitrium, ut illud naturale agnoſcitur, eriperet. Agnoſcit illud, non minus in homine ante lapſum, quam poſt illum. In priori plenum integrumque Arbitrium diſertè confitetur, Inſtitut. lib 1. cap. 15. ſect. 8. *Ergo animam hominis Deus mente inſtruxit, qua bonum à malo, juſtum ab injuſto diſcerneret, ac quid ſequendum vel fugiendum ſit, præeunte rationis luce videret. Unde partem hanc directricem, τὸ ἡγεμονικὸν dixerunt Philoſophi. Huic adjunxit voluntatem, penes quam eſt electio. His præclaris dotibus excelluit, prima hominis conditio: ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium, non modo cum terrenæ vitæ gubernationem ſuppeterent: ſed quibus tranſcenderent, uſque ad Deum, & æternam felicitatem. Deinde, ut accederet electio, quæ appetitus dirigeret, motuſque omnes organicos temperaret, atque ita voluntas, rationis mode-*

nis moderationi eſſe prorſus conſentanea. In hac integritate libero arbitrio pollebat homo, qui ſi vellet, adipiſci poſſet vitam. Idem de Libero arbitrio contra Pighium lib. 2. *Neque enim negamus, liberi arbitrij conditum fuiſſe hominem, qui & ſumma mentis intelligentia, & rectitudine mentis præditus fuerat.* Hæc, ex mente ter maximi Calvini, de hominis priori ſtatu. Reſtat poſterior: Calvinus ergo contra Libertinos, cap. 14. ſic loquitur: *Notandum eſt nos à natura electionem, & voluntatem habere.* De libero arbitrio contra Pighij lib. 2. *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium eſſe, & fateor, & conſtanter aſſevero: ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror.*

VIII. Ut ergo ex præcedentibus patet, hominem conſideratum velut ſubjectum quod, liberi arbitrij, qua hominem conſortem eſſe; proxime inquirendum eſt, ratione ſubjecti quo, ſecundum quam facultatem immediate liberum arbitrium admittat. Licet vero hominis anima, quæ unica ſolum in illo agnoſcenda eſt, virtualiter quoque vegetans & ſentiens ſit; nequaquam tamen liberum arbitrium agnoſci poteſt, potentia eſſe ſive animæ vegetantis, ſive ſentientis. De vegetante nemo dubitare poteſt. De ſentiente forte quis ambigere. At neque hanc agnoſci poſſe conveniens ſubjectum, facile oſtendi poteſt. Nam primo ſenſus externi, poſito objecto ac requiſitis, non poſſunt non exercere functiones ſuas, nec aliter rem percipere atque eſt: quomodo & ſenſus communis agit. Senſus autem interior, ſeu phantaſia, & appetitus ſenſitivus, ut & facultas locomotiva, etſi rationi obediunt; & ita libera eſt interdum rei imaginatio, libera appetitio ſenſitiva in homine, libere etiam homo ambulat; ſed iſta omnia libere fieri dicuntur, tantum ut actus imperati, non ut eliciti, id eſt, libertas illa proprie eſt in facultate, quæ actum imperat, non quæ elicit, ſeu dicitur homo iſta libere agere, non quod ipſa facultas imaginativa aut appetitiva libertatem habeat, ſed id, cui ea obedit. Conſequens ergo eſt, liberum arbitrium ſit in anima, quatenus rationali. Quam vero animæ, ut talis,

agnoſ-

agnoſcantur duæ facultates eſſe, intellectus & voluntas, dubium cum primis eſt in utra formaliter ſit liberum arbitrium. Durandus 2. ſent. diſtinct. 24. ad utramque facultatem refert, quem ex recentioribus ſequitur non modo Franc. Picolominæus in Eth. grad. 2. cap. 43. verum multi alij viri egregij, qui exiſtimant tam intellectum, quam voluntatem formaliter liberam eſſe. Alij, ſoli voluntati formaliter libertatem competere contendunt, ut Thomas p. 1. qu. 83. art. 3. de Veritate qu. 24. art. 2. de malo qu. 6. art. 1. & paſſim. Henricus Gandavenſis Quodlib. 1. qu. 16, Scotus 2. ſent. diſt. 25. Ferrarienſis lib. 3. contra Gentes cap. 73. Javellus 9. Metaph. qu. 4. Fonſeca lib. 9 Metaph. cap. 2. qu. 3. ſect. 4. & Suares diſp. Metaph. 19. ſect. 5. n. 11. plurimique alij, quos enumerare longum foret.

IX. Quo vero omnia diſtinctius queant dijudicari, ante omnia inquirendum eſt, quomodo intellectus à voluntate à parte animæ rationalis diſtinguatur. Quanquam vero, vulgus Philoſophorum ſtatuit, realiter tum ab ipſa anima rationali, tum etiam inter ſe diſtingui, nobis tamen non inconveniens videtur ſubtiliſſimi Scaligeri diſcurſus Exercit. 307. ſect. 15. *Una enim res* (inquit) *eſt anima, intellectus, voluntas: Anima eſſentiam dicit: intellectus ea eſt ipſa eſſentia, ut apprehendit: voluntas eſt idem, quod eſſentia illa intelligens, atque extendens ſeſe ad illam rem cognitam potiundam.* Idem ſtatuit Franciſcus Piccolominæus Grad. Mor. 2. cap. 43. ponens hanc hypotheſin: *Vires animæ ab eſſentia ejus non diſtingui; ſed facultatem appetentem & cognoſcentem re unam eſſe.* Eoque, non inconveniens nobis videtur eſſe ſententia eorum, qui ſtatuunt tum ab anima, tum inter ſe, diſtingui ſive diſtinctione modali, ſive rationis ratiocinatæ; nec tamen propterea homo aut Deo immediate agenti æquabitur, aut etiam formalis intellectus & voluntatis ratio coincidet, haut magis atque ens, & attributa ejuſdem, unum, verum, bonum: pro diſtinctione ſufficit abunde diverſitas objecti & medij. Quod ut liquido pateat, lubet adoptare verba D. Burgerſdicij, ſic non inconvenienter philoſophantis, Colleg. Phyſ. Diſp. 31. Th. 9. *Concludi poſſe videtur, vo-*

luntatem non eſſe facultatem ab intellectu reipſa, ſed ſola ratione ac definitione diverſam, nihilque aliud eſſe voluntatem, quam intellectum, extendentem ſeſe ad potiundam rem cognitam & probatam. Nam, ſi intellectus & voluntas re ipſa differant, judicium intellectus non poterit movere voluntatem. Nam cum voluntas ſit potentia cæca, nec rem propoſitam, nec intellectus judicium percipere poterit. Quæ difficultas non premit eos, qui reale diſcrimen tollunt. Sed una eſt anima, dicent, qui ſecus ſentiunt, quæ objectum per intellectum judicat eſſe bonum, idque expetit per voluntatem. Verum hoc non eſt ſatis. Si enim anima per intellectum intelligat & per voluntatem appetat, tanquam per facultates inter ſe & à ſua ſubſtantia diſtinctas, voluntaſque ad volendum moveatur à judicio intellectus, ipſa debet objectum ſuum, aut judicium intellectus objectum probantis percipere, alioquin feretur, in incognitum.

X. Interea tamen recte diſquiritur, quodnam ſit proximum atque immediatum liberi arbitrii ſubiectum: nam, quamvis nullum ſit dubium, illud eſſe in anima qua rationali; recte tamen quæritur, ſitne in anima hac, quatenus intelligit; an vero quatenus vult & concupiſcit; an vero utroque modo. Philoſophus hoc in medio relinquit. Sic enim loquitur lib. 5. Eth. Nicom. cap. 2. διὸ, ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς, ἢ προαίρεσις, ἢ ὄρεξις διανοητική. *Idcirco vel appetitivus intellectus, vel intellectivus appetitus electio eſt.* At miſſo Ariſtotele, hic occurrunt tres ſententiæ: prima, animam qua volentem, ſolum vult eſſe ſubiectum; altera etiam qua intelligentem; tertia ut volentem quidem, ſtatuit formaliter eſſe liberam, ſic ut radicaliter ſit in intellectu. In quamq; ſententiam operoſe nolumus diſquirere: interim initio profitemur, nos non poſſe hactenus videre, quomodo liberum arbitrium æque poſſit tribui animæ qua intelligenti, atque qua volenti. Nam, ſi anima, qua intelligens, æque libera eſſet, atque qua volens, intellectus in intelligendo pari ratione, ac voluntas, indifferenter ſe haberet: quum contrarium tamen verum ſit, ſiquidem ſæpe cognoſcit anima ſecundum intellectum talia, quæ mallet non cognoſcere; nec, ut ut velit, ſeſe à tali notitia poteſt avertere. Illuſtre exemplum occurrit Daniel. 4. inBel-

in Belſchatzere. Et experientia conſtat, quod cum æger ἰ Δηῖα, ex aliquibus ſignis cognoſcit morbum, quo laborat, lethalem eſſe, optat quidem ſępe tali notitia liberari; non tamen poſſe illam aut exuere, aut, ut ut conetur quoque, avertere. Quod certo videtur eſſe argumento, non poſſe animam ut intelligentem, formaliter æque liberam cenſeri, atque eandem, ut concupiſcit. Idem ſuadere quoque videtur, animæ ut intelligentis conditio, quæ pro ratione objectorum & argumentorum, colligit atque diſcurrit, modo topice, modo apodictice; interim ſic, ut non poſſit aliter intelligere atque diſcurrere, quam aut ipſa res, quę intelligenda eſt, ſeſe offert, aut quam leges diſcurſus exigunt. Quum interim anima, quatenus cenſetur voluntas, ad alterutram partem contradictionis ſemper ſit determinabilis. Sed, an non libertas animæ, quatenus eſt voluntas, ſaltem radicaliter cenſeri debet eſſe in eadem, prout ſe habet velut intellectus? Ita quidem magni viri, extra Philoſophiam quoque ſummi & celeberrimi, exiſtimant, quando dicunt libertatem radicaliter eſſe in intellectu; cæterum non poſſum concedere, ſimpliciter hoc verum eſſe, nec admittere hanc vocem *radicaliter*, niſi illa dextre intelligatur. Non negari quidē poteſt, ad libertatem opus eſſe tum notitia finis, tum indifferentia mentis; atque nos nihil amplecti aut appetere, niſi bonum iudicetur; nec quicquam averſari, niſi malum iudicetur, ſaltem pro illo tempore, quo illud fugimus; ac proinde, adhoc ut voluntas ſit libera, requiri mentis indeterminationem, per quam iudicare poſſit, rem eandem bonam & non bonam, malam & non malam eſſe: Interim tamen neutiquā ſtatuendum, mentem, ſeu intellectum, fundamentale principium eſſe illius libertatis, quā anima, in quantum voluntas cenſetur, gaudet. Voluntas æque immediate atque perſe eſt libera; quam mens, ſeu intellectus, eſt cognoſcitivus. Si dicat aliquis: Ideo libertatem, ſenſu, quem examinamus, radicaliter ineſſe intellectui, quod huius iudicium ſit libertatis fundamentum? pari ratione inferam; quod debeat ſtatui, potentiam cognoſcitivam, radicaliter eſſe in voluntate,

(ſed hoc inaudium eſt) quod intellectus non conſueverit cognoſcere, niſi voluntas ipſum ad cognoſcendum applicuerit. Ut ergo quæſtionem hanc finiam, diſtinguo inter ipſam libertatem & exercitium ejuſdem. Libertas, qua libertas, eſt ſolius voluntatis, ſeu animæ, ut volentis; nec ea, ſive formaliter, ſive radicaliter intellectui tribui poteſt: at, ſi attendatur uſus ſeu exercitium libertatis, hoc radicaliter, ſeu verius directive, eſt in anima ut intelligente; formaliter autem & effective in voluntate. Atque, hæc hactenus conſentiunt per omnia illis, quæ Theſi præcedenti diximus. Nam, cum non re, ſed ratione, intellectus & voluntas diſtinguantur, mutuo indigent ſubſidio, ratione ſuarum operationum: adeo ut nulla occurrat intellectus operatio, præter illam primam forte, quam in Scholis excitatam vocare ſolent, ad quam non concurrat vis quædam voluntatis: Prout, ex altera parte voluntas quoque nihil appetere poteſt niſi illuſtretur atque dirigatur ab Intellectu: atque hoc ſenſu, non alio, admittere poſſumus, ut dicatur voluntas (ratione ſcil. ſuarum operationum) radicari in intellectu.

X I. Porro, inquirendum eſt (ut deinceps accurata adferri poſſit definitio) quodnam genus liberi arbitrij ſit ſtatuendum. Quanquam vero certum eſt, neque ipſum liberum arbitrium, neque etiam ipſam voluntatem realiter diſtingui ab anima, ut intelligente: nihilominus tamen utraque conſiderari poteſt, ſecundum diverſas illas modificationes, quæ in prædicamento qualitatis, vulgo, ut illius ſpecies, conſiderari ſolent. Non poteſt vero ipſum hoc liberum arbitrium cenſeri habitus: ſiquidem omnis habitus proprie dictus eſt determinatus ad unum; at Liberum arbitrium, cum ſit potentia libera, eſt quaſi domina ſui actus poteſtque pro arbitrio illum producere & non producere. Actus quoque haberi non poteſt: homo enim habet Liberum arbitrium, etiamſi nihil agat: at actus tum ſolum eſt, quando exercetur. Eoque, commodiſſime cenſeri poteſt, velut potentia naturalis, aut facultas; non quidem (prout jam antea patuit) realiter ab ipſa anima diſtincta; ſed quod anima ſecundum voluntatis liberum arbitrium, ad modum facultatis, aut potentiæ naturalis, quod

ſuralis certos actus edat. Nec ad contrarium ſtatuendum, ut ſcil. Liberum arbitrium cenſetur eſſe actus, quis moveri eo debet, quod τὸ arbitrari ſit agere; atque niſi deſcribatur liberum arbitrium per actum, videatur ſtatuenda eſſe tertia animæ rationalis facultas. Nam dicimus nomen arbitrij non eſſe conſiderandum populariter, ſed philoſophice, atque ſic eſſe magis nomen facultatis, cum reſpectu tamen ad agendum. Poteſt quidem pro actu nonnunquam uſurpari, formaliter tamen non eſt actus; quomodo & voluntatis vocabulum eſt ambiguum: quod modo τὴν θέλησιν, vel actum volendi; modo τὴν θελητικὴν δύναμιν, vel potentiam volendi ſignificat, annotante *Damaſceno* lib. 2. de Orthodoxa Fide cap. 22. Et, iſto quidem ſenſu dici poteſt de pueris & dormientibus, quod careant libero arbitrio, vel quod ſui non ſint arbitrij, quia iſtud non exercent, nec libere operantur. Hoc vero ſenſu, libero arbitrio pueri gaudent, quia ſicut rationem habent, licet non actu ratiocinentur, ſic liberum arbitrium habent, licet non actu libere agant, vel illud exerceant. Non neceſſum quoque, admiſſo hoc principio, ſtatuere liberum arbitrium eſſe quaſi tertiam facultatem. Neque enim eſt peculiaris quędam δύναμις, ſed ſolummodo δυνάμεως, ſeu voluntatis perfectio. Unde, quando in renatis renovatur liberum arbitrium, non accedit nova potentia proprie dicta, qualis eſt ratio & voluntas; ſed potius facultatum perfectio, donum vel diſpoſitio quædam, illas perficiens.

X I I. Deveniendo deinceps ad objectum liberi arbitrij, illud duplex hoc loco attendi debet: Materiale, & formale. Materiale eſt triplex: Bonum, malum, & adiaphorum. Siquidem hic eadem eſt ratio voluntatis, & arbitrij ejuſdem. Si quis vero voluerit ſimpliciter accipere voluntatem, ut diſtinguatur à Noluntate, objectum, ſimpliciter loquendo, dici poteſt bonum apparens; item quia *nolle*, ut eſt effectus voluntatis, non ſimpliciter negat *velle*, ſed *nolle* ſumitur pro actu poſitivo, qui eſt velle non eſſe aut fieri, ejus etiam actus objectum, merito dicitur bonum, quia non eſſe aut non fieri malum, eſt bonum. Sic quod

dici libertatem exercere, non ſolum quando circa media hęret, ad finem ſpectantia, ſed etiam cum verſatur circa ipſum finem? Quæ enim ratio eſt, ut in ipſo actu felicitatis, libertas ei negaretur, cum felix qua felix maxime liber ſit, nec propterea anima ut volens, minus libera ſit, quia fieri non poteſt, ut aliquis velit non eſſe felix? Imo eo magis libertas animę rationalis, ſed ut volentis, hic ſe exerit, quia ſecundum definitum iudicium felicitatem appetit, uſque adeo, ut, ab illa expetenda, nec impediri nec dimoveri queat, Quæ in contrarium argumenta adducuntur, nihil concludunt, ſiqnidem perpetuo libertas, cum conſultatione & electione libera confunditur. Hæc quidem tantum circa media occupatur; at illa, ſimul circa finem & media: ſiquidem omnes actiones morales hominis intrinſecus & elicitive liberæ ſunt. Præterea, obſervanda eſt diſtinctio inter finem ultimum & ſubordinatum: atque notandum, illum ſimpliciter & abſolute eſſe finem, puta felicitatem, aut ſummum bonum: fines vero ſubordinatos, habere rationem mediorum ad finem, quum ad hunc referantur.

XIV. Proxime, ſecundum principia iam propoſita, inquirere debemus, in propriam liberi arbitrij formalitatem, ut deinde, per convenientem definitionem, ipſum liberum arbitriũ explicare queamus. Hic vero obſervari poteſt ſingularis non minus, quam intricatus Scholaſticorum Doctorum conflictus. Bellarminus lib. 3. de Grat. & lib. Arbit. cap. 3. proponit quidem ſeptem, aut octo definitiones, quarum ſingulæ diſtinctam formalitatem complectuntur, nullam tamen ex ijs probat, unde & hanc, velut perfectiorem alijs, ſubſtituit: *Liberum arbitrium eſt libera poteſtas, ex his quæ ad finem aliquem conducunt, unum præ alio eligendi, aut ut idem acceptandi, vel pro arbitrio reſpuendi, intelligenti naturæ, ad magnam Dei gloriam attributa.* Sed in hac ipſa definitione, quam Author voluit agnoſci velut Phidię Minervam vitia occurrunt, quæ merentur ὀβελίζεσθαι Vt enim non dicamus, inconvenienter *poteſtatem*, quæ ſolet deſcribi ius & axioma ſuperioris, hic adhiberi pro potentia, quæ vox admodum

modum generis convenientius longe aptari poſſet *libero arbitrio* ? quum ſit naturalis vis expedite agendi: amplius ratione obiecti nimis eſt anguſta. Siquidem excluſo fine, media ſolummodo, vel ea quæ ad finem conducunt, pro obiecto liberi arbitrij exhibet; quum tamen libere velimus utrumque, & media & finem, ut antea eſt oſtenſum. Vix quoque ratione aſſignatorum actuum eſt univerſalis. Siquidem definitio hæc innuit, electionem, velut proprium liberi arbitrij actum, fieri duobus modis: vel *ſeligendo unum* ex duobus vel pluribus propoſitis, quæ ſolet dici in Scholis *libertas contrarietatis*: Vel uno tantum propoſito, illud acceptando vel reiiciendo, quæ vocatur vulgo *libertas contradictionis*, ſeu *exercitii*. At, utraq; hac libertate non gaudent omnia entia, quibus liberum arbitrium competere, ſupra oſtendimus. Neque enim Deus, angeli boni, & beati in cœlo habent libertatem contrarietatis, quum ſic bonum velint, ut contrarium malum nec velle nec eligere poſſint. Et tamen ſunt entia libere agentia: Deus autem ipſe (ut ſupra patuit) ens liberrimum.

XV. At miſſâ Bellarmini definitione, accedimus ad examen definitionis, qua multi graviter in Theologia errantes, hodie miſere abutuntur, ut liberi arbitrij vires (quarum trutinam Reverendis DD. Theologis committimus) extollendo, gratiæ Divinæ efficaciam enervent; exiſtimantes poſitum eſſe in hominis poteſtate, ut rejiciat omnem Dei motionem, & gratiam etiam validiſſimam. Et ex qua, veluti malorum Lerna, promanarunt ſcientia Dei media, decreta conditionata, concurſus Dei univerſalis & indifferens, atque ſimilia monſtralia, non minus adverſantia Theologiæ Orthodoxæ, (illius patrocinium hactenus relinquimus ijs, qui illam tutari ſecundum profeſſionem debent) quam in ſana Philoſophia per omnia ἀσύστατα. Ita vero habet hæc ipſa definitio, pro cuius ſufficientia quidam tam fervide digladiantur: ut vadimonium malint deſerere, quam illam miſſam facere: *Liberum arbitrium eſt id, quod poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt agere, & non agere; aut, ita agere unum,*

tum, *ut contrarium etiam agere poſſit.* Quid vero de hac definitione, & ſufficientia ejuſdem ſit ſtatuendum, lubet oſtendere primo alienis, quam meis verbis. Ita ergo de ea cenſet Dominicanus, gente & domo Hiſpanus, longe Celeberrimus, Didacus Alvarez Archiepiſcopus Tranenſis lib. 12. de auxilijs Divinæ Gratiæ Diſput. 115. num. 1. pag. 903. *Hæc definitio liberi arbitrij ſub hac forma neque apud Ariſtotelem, neque apud Magiſtrum ſententiarum, neque apud Sanctum Thomam invenitur, ſed apud aliquos Nominales: quæ definitio, quamvis poſſit verum ſenſum, & catholicum habere; in illo tamen ſenſu, in quo ab aliquibus explicatur, non videtur poſſe ſubſiſtere. Intelligunt enim hanc definitionem, ita, ut poſitis omnibus requiſitis antecedenter ad actum liberum, & ad influxum actualem, quo voluntas influit in illum, liberum arbitrium poſſit, etiam in ſenſu compoſito, operari illum actum, & non operari, ſed ſuſpendere illum; aut etiam elicere actum contrarium.* Quæ ſic libere ab Alvarezio dicta, ut hactenus amplectimur, ita, ſecundum lineamenta ipſius, ordine progrediemur. Atque *primo* hanc definitionem Patribus (inter eos ipſi Auguſtino) ignotam fuiſſe utraque manu concedimus. Antiquiorem adferri non poſſe putem quam Almainum, qui eam propoſuit in Tract. 1. Moral. cap. 1.

2. Quando Alvarez meminit ſenſus compoſiti, & ſenſus diviſi, videtur illud breviter eſſe elucidandum. Atque, ut hic maxime agitur de ſenſu compoſito, ſciendum eſt eum duplicem eſſe. Primo enim compoſitio fit inter prærequiſita operationis & ipſam potentiam, vel operandi, vel non operandi, vel aliud operandi, & tum ratione præſentis hypotheſis, ſenſus compoſitus hic eſt, quod potentia volendi in eodem ſubjecto, ſeu libero arbitrio, componitur cum prærequiſitis ad talem volitionem, atque tum provenit ſimultas potentiæ, ſecundum quam, cum aliquis actu hoc illudve operatur & vult, in ſe ſimul habeat potentiam aliud aut operandi aut volendi, non quidem hoc tempore, quaſi in illo ſimul componi poſſint operari & non operari, velle & non velle, ſed tempore alio; ut, licet deprehendat ſe non habere potentiam, hoc tempore, aut ad aliud operandum, aut ad aliud

volendum, quam id quod operatur aut vult, tamen cum hac operatione & volitione, ſimul componitur potentia, alio tempore operandi & volendi contrarium. Atque hic ſenſus compoſitus, utpote rationabilis, verus eſt, ſimulque admitti poteſt. *Secundo* compoſitio inſtituitur inter prærequiſita antecedenter ad operandum aliquem actum, & aut inter carentiam ejuſdem actus, aut etiam actum contrarium: atque tum ſenſus compoſitus, cum quo coincidit fictitia potentia ſimultatis, eſt hic: quod omnes tum cauſæ tum conditiones, prærequiſitæ ex parte Dei & ex parte hominis V. C volitio, & ſimul carentia illius actus, ſeu actus contrarius, ſimul ſint & componantur in eodem ſubjecto, ſive libero arbitrio: adeo ut quis ratione potentiæ ſimultatis, eodem tempore poſſit operari & non operari. Quod cum manifeſtam contradictionem implicet, non minus falſiſſimus eſt hic ſenſus compoſitus, atque hæc potentia ſimultatis Chimæra; ut ut Sophiſtæ quoque, atque errones in SS. Theologia, tum pro admittendo hoc ſenſu compoſito, tum etiam pro hac potentia ſimultatis digladientur; contendentes indifferentiam non modo paſſivoactivam, ſed & mere activam & poſitivam neceſſario eſſe agnoſcendam de propria formalitate Liberi arbitrij. Nam talem potentiam & indifferentiam, haud quaquam ſubſiſtere poſſe liquet: quod poſito Dei decreto, de futuritione hujus illiuſve actus voluntatis creatæ, voluntas nequeat ſuum actum aut ſuſpendere, aut variare. Vidit ipſe Thomas, quando 1. part. qu. 26. art. 3. ad 2. ſic loquitur: *Licet ſit poſſibile, eum, qui eſt prædeſtinatus mori in peccato mortali ſecundum ſe conſideratum, tamen hoc eſt impoſſibile, poſito, prout ſcil. ponitur, eum eſſe prædeſtinatum.* Quid quod Cardinalis Cajetanus in 1. prim. qu. 22. art. 4. non dubitavit ingenue profiteri, hanc ipſam doctrinam, de indifferentia liberi arbitrij cum Divina providentia, à nullo adhuc Eccleſiæ Doctore, nequidem Angelico, tali modo, qui *animum quietarit* (ita phraſi Scholaſtica loquitur) conciliatam fuiſſe, aut etiam facili via conciliari poſſe. Atque, ſi quod res eſt, voluerimus dicere, poſito Dei decreto, & hactenus ſimul admiſſa

nulla hac liberi arbitrij indifferentia, Deus qui eſt ens per omnia independens, ſimulque beatiſſimum, excidet hac ſua beatitudine, per hanc ipſam indifferentiam voluntatis, quod debeat dependere ἀπὸ τῆς ῥοπῆς ipſius voluntatis, dubius quonam illa ipſa ſeſe ſit flexura. II. Hac indifferentia neutiquam poteſt ſubſiſtere, cum efficaci & directa Divinæ gratiæ motione, per quam homo electus ex nolente fit volens: de qua (quod extra circulum Philoſophicum excurrere nolimus) plura non addimus. III. Si cum ipſo Bellarmino lib. 3. de Grat. & liber. arbitr. cap. 8. ſtatuatur, voluntatem determinari ab ultimo judicio practico intellectus, confundi neceſſario debebunt hujus indifferentiæ patroni. Quid vero de hac ſententia ſit ſtatuendum, infra cum bono Deo diſtincte examinabimus. IV. Argumentari poſſumus, adverſus hanc ipſam indifferentiam ex Ariſtotele, qui quando lib. 7. Ethicor. Nicomach. cap. 3. ita per interpretem loquitur: *Altera enim universalis opinio eſt: altera de particularibus rebus, quibus præſidet ſenſus. quando autem ex ipſis, una evaſerit: alibi quidem enunciet anima, in effectivis vero, agat ſtatim, neceſſe eſt: ut ſi omne dulce guſtandum eſt, hoc autem eſt dulce, guſtandum eſt, hoc autem eſt dulce, utpote unum quoddam ex particularibus: neceſſe eſt ut qui poteſt, & non prohibetur, ſimul hoc quoque agat*: innuit manifeſto concluſionem ſyllogiſmi practici eſſe actionem: atque conſequenter, abſonum eſſe, ut veritate præmiſſarum certo cognita, concluſio maneat in ſuſpenſo, adeo ut voluntas elicitâ concluſione nondum agat, imo ſibi etiam ab agendo temperare, atq; adeo contrarium agere queat? Sane, qui in veri contemplatione eſt occupatus, ut non poteſt falſo aſſentiri; ita, neque principia ſemel agnita reſpuere; ſimiliter cum idem intellectus de bonitate vel malitia rerum arbitratur, non poteſt ſibi imperare, ut vel malum (quod cognoſcit malum eſſe) amplectatur, vel ea indifferenter reſpiciat, quæ judicavit præſidia eſſe, fini obtinendo neceſſaria. Quod vero (omnibus Philoſophis ſanioribus fatentibus) in Demonſtratione eſt principium, illud ipſum finis eſt in actione, atque eadem occurrit proportio inter

DISPUTATIO POSTERIOR DE LIBERO ARBITRIO

RESPONDENTE

JOHANNE SIBELIO
Omlando.

XVI.

QUo vero definite, poſt reiectas aliorum, minus veritati conſentientes definitiones, naturam, ſeu *φύσιν* liberi arbitrij, Phyſice quã convenienter explicare poſſimus: Quædam diſtinctiones antea, utpote deinceps uſui futuræ, in anteceſſum ſunt explicandæ. Primo ergo Libertas diſtinguitur in eam, quæ eſt *contradictionis*, ſeu exercitij,& eam,quæ eſt *contrarietatis*. Illa eſt,*cum propoſito objecto, voluntas hoc, vel illud, velle, aut non velle, poteſt.* Libertas *contrarietatis*, ſeu ſpecificationis, eſt, *cum voluntas non eſt determinata ad certam ſpeciem.* [videlicet ad ſolum *bonum*, aut ad ſolum *malum*] *ſed alterutrum poteſt velle, aut nolle.* Pro inſtituto hoc, amplius diſtinguenda eſt neceſſitas,quæ provenit, vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco principio. Illa iterum duplex eſt, vel abſolute ſe habens, vel hypothetice. Illa provenit vel ab alio veluti cauſſa, externa, vel ab alio veluti objecto. Hypothetica præterea eſt duplex,vel enim conſideratur ſecundum ſuppoſitionem decreti Divini,vel ſecundum ſuppoſitionem rei ut præſentis. Neceſſitas proveniens ab intrinſeco principio, vel cenſetur provenire à natura;vel à ratione. Præterea ex Alvarez obſervanda eſt diſtinctio indifferentiæ. Nam ſic loquitur d. l. Diſp. 116. §. 5.

ubi

ubi definiviſſet indifferentiam paſſivam: *Aliquando* (inquit) indifferentia *adiungitur potentiæ activæ; ſive indifferentia quam habet artifex ad faciendum vel non faciendum aliquod artificiatum, aut etiam ad faciendum hoc vel illud artificiatum. Amplius poteſt adiungi indifferentia potentiæ, quæ partim eſt activa, partim paſſiva; vel eſt paſſiva in ordine ad unum, activa autem in ordine ad alterum: ſicut intellectus, in ordine ad ſpeciem productam, ab obiecto habet rationem potentiæ paſſivæ, quia recipit in ſe ſpeciem illam, in ordine vero ad actum intelligendi, habet indifferentiam activam, & quatenus in ſeipſa recipit actus immanentes quos producit, habet aliquam rationem potentiæ paſſivæ.* Poſtremo notanda eſt diſtinctio Rhetorfortis viri in Scholaſticis DD. exercitatiſſimi, qui ſic loquitur in Exercit. Apologet. pro Gratia cap. 1. §. 8. *Dabimus* (inquit) *duplicem indifferentiam in potentia libera, aliam obiectivam, nempe, quando intellectus proponit eligibile libertati, ut medium ſummo bono abſolutè intento non neceſſarium; aliam internam, vitalem, electivam, quâ voluntas libera ex ſe poteſt tam hoc velle, quam nolle, ſalvâ tum eſſentiâ libertatis, tum ſalvo naturaliſſimo agendi modo ſuo.*

XVII. Præmiſſis hiſce diſtinctionibus, *primo* dicimus quod liberum arbitrium immune ſit à neceſſitate, quæ provenit à cauſſa extrinſeca, quæ & coincidit cum neceſſitate coactionis; unde quidam ex Orthodoxis Theologis & Philoſophis, definiunt liberum arbitrium per non coactionem, Quemodo ipſe Calvinus quoque liberum arbitrium, ut ſupra Th. 7. vidimus, coactioni opponit. Nec alia mens Lutheri fuit, ſic enim inter alia loquitur lib. de Servo arbitr. *Sequitur* (inquit) *neceſſario nos operari: neceſſario dico, non coactè, hoc eſt, homo cum vacat ſpiritu Dei, non quidem violentia, velut raptus obtorto collo nolens facit, ſed ſponte, & libera voluntate facit.* Atque Baianos, ſive Ianſenitas idem hactenus ſtatuere, teſtis eſt Ripalda Ieſuita, ſupra quoque adductus Diſput. 14. ſect. 3. & 4. Quanquam vero hoc nomine ſtomachatur, & tum ſuis, tum ijs, quos maledice Calvinia nos vocat, inclementer dicit, antiquiores tamen & melioris notæ Scholaſtici Doctores, & plurimi ex recentioribus Pontificijs Doctoribus

in eadem opinione fuerunt, fatente ipſo Ieſuita Suarezio lib. de Grat. part. 1. Proleg. 1. cap. 1. *Non defuerunt* (inquit) *aliqui moderni Catholici, qui negaverunt ad libertatem voluntatis eſſe neceſſariam indifferentiam ſeu carentiam neceſſitatis, ſed ſatis eſſe carentiam coactionis.* Atque hi ipſi Catholici, erant Baiani, quos Ripalda, haud ſecus atque hæreticos exagitare tamen inſtituit. Quod vero mirandum cumprimis, præivit hic ipſe Scholaſticorum pater Petrus Lombardus, lib. 2. Sentent. diſt. 25. ſic loquens: *A neceſſitate & ante peccatum & poſt, æque liberum eſt arbitrium: ſicut enim tunc cogi non poterat, ita nec modo.* Eum ſequitur Anſelmus lib. de libero arbitrio cap. 5. *Velle* (inquit) *nemo poteſt invitus, qui non poteſt velle, nolens velle: nam omnis volens, ſuum velle vult.* Tum ſubjungit: *Quomodo itaque non eſt libera voluntas, quam aliena poteſtas ſine ſuo aſſenſu ſubjicere non poteſt?* Thomas ſic explicat Auguſtini ſententiam de libertate, qu. 22. de veritate art. 5. ad. 2. *Dicendum* (inquit) *quod libertas ſecundum Auguſtinum opponitur neceſſitati coactionis, non autem neceſſitati naturalis inclinationis.* Similiter ejuſdem hæc verba notantur 1. part. qu. 83. art. 2. *Homo* (inquit) *non quod ad libertatem naturalem, quæ eſt à coactione, ſed libertatem, quæ eſt à culpa, liberum arbitrium perdidit.* Accedit Bonaventura lib. 2. diſt. 25. 4. 1. art. 2. *Neceſſitas coactionis* (inquit) *repugnat libero, non neceſſitas immutabilitatis.* Atque hactenus hiſce ipſa Scriptura favet, in qua τὸ ἑκούσιον oppo. itur τῇ ἀνάγκῃ. Ad Philemonem v. 14. ſic Paulus: μὴ ὡς κατ' ἀνάγκην, ἀλλὰ καθ' ἑκούσιον. Similiter Apoſtolus Petrus 1. Pet. 5. 2. *Paſcite gregem* μὴ ἀναγκαστῶς ἀλλ' ἑκουσίως. Quibus in locis ἀνάγκη *coactionem*, & ἀναγκαστῶς *coacte* ſignificant. Gloſſ. *Coactus*, ἀναγκασθείς. Sic apud Thucyd. lib. 2. qui coacti in militiam eunt, notantur ut ἀναγκαστοὶ ἐμβάντες. Parum diſſimiliter ab Apoſtolo 1. Cor. 9. 17. opponuntur ἑκὼν & ἄκων. Atque ſic hactenus veriſſimum eſt, liberum arbitrium opponi coactioni, & animam rationalem, conſideratam velut voluntatem, liberam eſſe à coactione. Simul convenienter dici, animam ut voluntatem, gaudere libertate contradictionis, hæc enim à voluntate, ſeu ab anima rationali, ut

giſter Sententiarum loco dicto: *Multo liberius* (inquit) *arbitrium eſt, quod non poteſt peccare.* Vt vero nemo unquam negarit, omnibus hiſce entibus liberum arbitrium competere; ita pariter manifeſtum eſt, ad naturam illius neutiquam pertinere libertatem contrarietatis. Idem per omnia docent duo celebres Dominicani; Delphinus ſcil. & Franc. Cumel. Ille lib. de libero arbitrio, cap. Quarum rerum ſit liberum arbitrium, *ſic loquitur*: Haud enim liberum arbitrium eo dicitur, quia ſic iſtud non velit, aut nolit, ut oppoſitum queat velle: Sed quoniam ad imperium ſui, quod expetit, illud etiam vult atque proſequitur, quandoquidem ſic vult aliquid, ut id velit ſe velle: aut quoniam pro libitu ſuo id expetit: proindeque in actu volendi ſe ipſum movet, ſibiq; ipſum dominatur: atq; idcirco liberum dicitur, quamvis etiam ad illud ordinetur immutabiliter. *Hæc ille.* Cumel vero diſputat. de voluntate hominis, *ſequentia habet*: Adde, non eſſe de ratione liberi arbitrij, poſſe velle bonum & malum: aut poſſe nunc velle unum, & poſtea mutare illud & nolle; & ſatis eſſe, ſi habeat optionem diverſarum rerum, quod electio ſit cum pleno atque perfecto iudicio rationis inter eas. *Hactenus etiam Cumel.* Interim inter Dominicanos, quibus Baianos & Ianſenitas accenſere oportet, & Ieſuitas, eorumq; ſequaces, non convenit ratione huius libertatis contrarietatis, ut applicandæ libero arbitrio humano, quemadmodum nos docet Ripalda Ieſuita loco dicto Diſput. 17. §. 5. *ſic loquens*: Præmitto nec à nobis, nec à Theologis, quam Baiani inſequuntur, ullibi deſiderari ad libertatem indifferentiam contrarietatis ad bonum, & malum; ſed ſola contradictionis indifferentia moralem libertatem conſtitui poſſe. Alia enim eſt libertas moralis in genere; alia in ſpecie libertas creaturæ rationalis propria, & naturalis, & prout in via ad ſalutem conſideratur, ſecluſo ſpeciali privilegio, & miraculo Dei. Ad libertatem moralem in genere ſufficit poteſtas agendi & non agendi, operandi & non operandi bonum, peccandi & non peccandi: nec noſtris argumentis aliud contendimus, nec Baianorum adverſarij aliud contendunt. Ad libertatem vero in ſpecie creaturæ rationalis

propriam, & prout in via ad ſalutem conſideratur, requiritur indifferentia contrarietatis ad bonum, & malum, quia ex nativa defectibilitate habet poſſe peccare, & ex naturali perfectione rationabilitatis, poſſe amare bonum rationi conveniens, præſertim adiuta auxilio gratiæ, & nullo ex capite ſive naturali ſive ſupernaturali affigitur in via ad ſolum bonum honeſtum amandum. *Hactenus Ripalda.* In diſtinctionem hanc, ejuſdemque applicationem plenius non inquirimus, provinciam hanc delegando Dnn. Theologis. Nobis ut propoſitum eſt, liberum arbitrium ſolummodo conſiderare in genere Entis; ita in natura illius explicanda ulterius progredimur.

XIX. Ergo, ſecluſa libertate contrarietatis, hactenus probavimus liberum arbitrium perpetuo gaudere debere libertate contradictionis, & ſimul debere liberum eſſe à coactione, quæ maxime pugnat cum libertate, ſiquidem qui agit aut patitur, κατ' οἰκείαν ὁρμὴν, nihil omnino confert, quoties vis major, aut majoris rei impetus eidem incumbit. Proxime expendere convenit, quomodo ratione objecti ſeſe habeat anima rationalis, ut ſecundum voluntatem libera eſt; quatenus illud ſcil. ad modum rei, animæ tum ut intelligenti, tum ut volenti, ſeſe extrinſecus offerre ſolet. Atque hic *ſecundo* agnoſcenda eſt indifferentia objectiva, ſive, immunitas à neceſſitate objectiva; aut *à neceſſitate ab extrinſeco abſolute ſe habente ſecundum objectum.* Siquidem anima, ut volens, poſitis omnibus quoque requiſitis à parte objecti, nullatenus tamen, velut quadam naturæ neceſſitate, determinatur ad eligendum ejuſmodi objectum, ſed adhuc indifferens manet. Per hanc indifferentiam, hactenus homo, ut liberum agens, diſtinguitur non modo à rebus inanimatis, verum etiam à mutis pecudibus, ſive belluis, quæ in actionibus ſuis ab objectis externis determinantur. Si, hoc ſolummodo vellent Sophiſtę in ſua definitione, quam antea examinavimus & rejecimus; poſſet illa hactenus admitti: nam veriſſimum eſt, & nemo ſani judicij negare poteſt, quod potentia libera, maneat adhuc indifferens, poſitis etiam omnibus, à parte obje-

te objecti prærequiſitis. Inſultat hoc nomine noſtris tum Theologis, tum Philoſophis Suarez in Metaphyſica, & in libris de auxilijs Gratiæ, quaſi majorem libertatem non agnoſcant, nec amplius animæ, ut liberæ tribuant, quam indifferentiam objectivam: Sed aliud patet ex ſcriptis noſtrorum tum Theologorum, tum Philoſophorum: atque infra, ubi determinaturi ſumus ipſam formalitatem liberi arbitrij, contrarium patebit.

X X. *Tertio, neceſſitas ab extrinſeco hypothetica* libero hominis arbitrio nō adverſatur. Speciatim non illa, quæ provenit à decreto Dei: ſiquidem amice cum libertate conſpirat, eamque includit & confirmat. Nam, Deus non modo decrevit actiones hominum fore, ſed etiam quomodo (hoc eſt libere) forent: unde non magis eſt neceſſarium hominem hoc agere, quia Deus decrevit, quam eum hoc libere agere, quia Deus libere acturum decrevit. Quomodo, & Deus, tanquam cauſſa prima, concurrit cum cauſſis liberis libere: ſemper ſuum concurſum contemperando, ſecundum naturam cauſſarum ſecundarum, à quibus actuum ſpecificatio provenit. Nam, ut recte Auguſtinus lib. 7. de Civ. Dei, cap. 30. dicit: *Omnia quæ creavit* Deus, *ſic adminiſtrat, ut ipſa etiam ſuos exercere & agere proprios motus ſinat.* Atque, ſic ſecluſa fictitia ſcientia media, ſaniores Scholaſtici, & ferme Dominicani omnes, conſtanter docuerunt, cum libertate voluntatis amice conſpirare neceſſitatem ex hypotheſi decreti, ceu præſcientiæ Divinæ. ſpeciatim ſic ſtatuunt Anſelmus, Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, Alexander Halenſis, Bonaventura, Capreolus, Durandus, Ægidius, Cajetanus, Sotus, Medina, Bannes, Cumel, Vincentius Aſtricenſis, Alvares, Trigoſius; imo Scotus cum omnibus ſuis aſſeclis. Quum vero neceſſitas hæc, apud dictos Authores varia nomina ferre conſueverit, in gratiam juniorum aſſcribam. Ergo ſequentia apud dictos Authores ferme coincidunt: *Neceſſitas in ſenſu compoſito, neceſſitas modalis de dicto, neceſſitas immutabilitatis*, vel *infallibilitatis*: item *neceſſitas conſequentiæ*, aut *neceſſitas conditionata.*

X X I. *Quarto* cum detur quædam neceſſitas *ab extrinſeco hy-*

potheti-

verum etiam à brutis, quamvis enim in his ſit phantaſia, agnoſcenda tanquam facultas ſuo modo cognoſcens, non valet tamen percipere in eodem objecto varias rationes, commodi & moleſti, ſed neceſſario judicat, illud vel eſſe bonum tantum, vel malum tantum; quum etiam pro exercitio liberi arbitrij in homine, ſit agnoſcenda ratio, ſecundum quam poſſit inter ſe conferre varia bona, & judicare qua ratione, unum alteri ſit pręferendum, adhoc ut conveniens ſecundum judicium inſtituatur electio. Nec aliud ſuadere poſſunt. V. C. oves, à plurimis in adverſum objici ſolitę, quod in campis unam herbam præ alia carpant, quum tamen utramque carpere poſſint. Nam, quando oves hanc herbam illi præferunt, illud non faciunt, aut ſecundum definitum judicium, aut etiam libere; ſed ſecundum neceſſitatem naturæ, ſiquidem non valent percipere, quod, unum & idem, diverſo reſpectu & alteri ſit præferendum, & poſtponendum. Nec hic intervenit proprie electio, ſed determinatio ſecundum naturam, ad hanc potius herbam quam illam; quod illa præ hac, ovis naturæ ſit magis conſentanea, reſpondeatque præ illa, ſpeciei congenitæ, ſecundum illud, quod naturæ maxime eſt conſentaneum.

XXIII. Supereſt, ut *quinto* deſpiciamus, quomodo ſe habeat liberum arbitrium ad neceſſitatem, quæ ab intrinſeco provenit, ſecundum determinationem *rationis*: quod, ut liquere queat, omnia altius aliquanto ſunt repetenda. Ergo 1. præſupponimus, quod in antecedentibus copioſius probavimus, realiter neque ab anima ut intelligente, neque etiam inter ſe, diſtingui intellectum & voluntatem. 2. Hoc pariter præſupponendum, animam ut intelligentem, præire eidem, ut volenti, ita ut intellectus dux quaſi voluntatis ſit. Nam calculo omnium Philoſophorum, voluntas nihil appetit niſi, id, ut cognitum, propoſitum fuerit. Movetur ſiquidem ab objecto, non quando adhuc latet & incognitum eſt, ſed quando cognoſcitur atque proponitur. Unde, in Scholis Philoſophorum recepta eſt hæc loquendi formula: *Nihil eſt volitum, niſi prius ſit cognitum.* Atque dictum illud Poëtę: *Ignoti nulla cupido.* Unde & illud Augu-

 ſtini

ſtini lib. 8. de Trinit. cap. 4. *Quis enim diligit, quod ignorat;* & iterum lib. 10. cap. 1. *Certe enim amari aliquid, niſi notum non poteſt.* Sed, an voluntas etiam cæca eſt? Ita cenſere communiter Philoſophos, atque hac quoque loquendi formula uti in confeſſo eſt; ſic tamen, ut cæcitatem hanc non velint attribui voluntati formaliter; (hoc reſpectu eſt affectio privativa, accidens facultati viſivæ) ſed ſolummodo analogice, atque ſecundum rationem ſimilitudinis. Pomponatius lib. 3. de Fato, cap. 6. expreſſe negat ſubſiſtere poſſe vulgare Philoſophorum verbum, atque proinde neque voluntatem eſſe vocandam cæcam. Quare ne cæca maneat, jubet eam cum intellectu confluere in unam potentiam, & utramque eſſe animam ipſam. Sed, non videtur Pomponatius bene percepiſſe, Philoſophorum, ſic loquentim, mentem. Nam admiſſo quoque (quod veriſſimum eſſe & probavimus, & hac Th. iterum ſuppoſuimus) nec inter ſe, nec ab anima rationali realiter diſtingui intellectum & voluntatem; nihilominus tamen hæc loquendi formula convenienter poterit admitti. Siquidem hæc illius mens erit, quod anima quatenus cenſetur ut volens, ſecundum hanc potentiam nihil cognoſcat. Nec tamen propterea, voluntas, ut quidam perperam inferunt, ſimul feretur in incognitum, ſiquidem eadem anima hoc vult per voluntatem, quod cognovit per intellectum. Sive, hoc vult executive ut volens, quod cognovit ut intelligens.

XXIV. Hinc provenit imperium intellectus in voluntatem, quod, pro ſubſequentibus, dextre ut eſt intelligendum; ita aliquanto diſtinctius venit explicandum. Atque imperium intellectui convenire diſertè & multis locis docet Ariſtoteles. Sic 1. Politic. c. 3. dicit νοῦν ſeu *mentem appetitui, ut regem, aut magiſtratum imperare.* Et 1. Ethic. Nicomach. cap. ult. t. 113. facultatem appetitivam, *ait parere & obedire rationi*, item rationale aliud dici, *quod rationem habet*, aliud, *quod eam audit, ut filius patrem.* Rurſus lib. 6. Ethic. Nic. cap. 10. dicit prudentiam, ſecundum hoc differre ab intelligentia, ſeu συνέσει, quod *hæc judicet,*

eat, *illa præcipiat & imperet.* & eod. lib. cap. ult. inquit, *civilem facultatem de omnibus præcipere, quæ in civitate fiunt.* Unde Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 8. negat, hominem ordinatum eſſe poſſe, niſi mens imperet. Verba ejus ſunt: *Illud eſt quod volo dicere, hoc quidquid eſt, quo pecoribus homo præponitur; ſive mens, ſive ſpiritus, ſive utrumque rectius appellatur: (nam utrumque in divinis libris invenimus) ſi dominetur, atque imperet cæteris, quibuſcunque homo conſtat, tunc eſſe hominem ordinatiſſimum.* Et rurſus: *Ratio iſta, vel mens, vel ſpiritus cum irrationales animi motus regit, id ſcilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea, quam æternam eſſe comperimus.* Nec tamen Nominales, hoc imperium intellectus voluerunt agnoſcere: neutiquam Henricus Gandavenſis quod. 9 qu. 6. & Jacobus Almainus tract. 3. Moral. cap. 2. Quorum argumenta videri poſſunt apud Barth. Medinam 1. 2. qu. 17. art. 1. Quantus hic conflictus quoque intercedat inter Thomæ Aquinatis ſectatores, docent Medina l. d. Dominicus Soto de Iuſtitia lib. 1. qu. 1. art. 1. Suarez. Diſp. 19. alijque. Ut vero nos exiſtimamus, intellectui ratione voluntatis imperium eſſe concedendum, ita prænotamus ex Fonſeca lib. 9 Metaph. cap. 2. qu. 2. ſect. 1. vocem imperij aliquando pro poteſtate, aliquando pro actu imperandi, & rurſus interdum pro actu externo, interdum pro actu interno accipi. Item, duo priora ſignificata alio pertinere, ac tertium ſolum hujus loci eſſe. Præterea, non intelligendum hic eſſe actum aliquem externum, qui V. C. magiſtratui in ſubditos competit, ſed actum internum, qui in uno eodemque ſuppoſito, ab una aliqua, & quidem ſuperiori facultate, in reliquas exercetur. Cum vero duo alias imperium contineat, nempe præſcribere ſeu oſtendere quid fieri debeat, & impellere ad agendum, intellectui prius tantum proprie competit; quemadmodum enim ipſe *eſſentialiter & adæquate eſt potentia cognoſcitiva & judicativa,* (verba ſunt Suarez) *ita non poteſt actum habere niſi per modum apprehenſionis aut judicij, cæteri extra ejus rationem ſunt.* Munus itaque ipſius eſt, illuminare & dirigere voluntatem, ſeu normam ac regulam ejus actibus præſcribere. Impellere

pellere autem non poteſt, niſi quatenus objectum proponit tantum, & ejus bonitatem explicat, quod proprie impulſus non eſt, ſicut, nec is, qui V. C. pomi pulchritudinem nudè oſtendit, proprie ad apprehendendum impellit. Speciatim vero munus, quod intellectus, ratione voluntatis, ad modum quaſi imperij exercet, ordinario practicum judicium vocari ſolet; paulo poſt, diſtinctius à nobis conſiderandum, ut & *imperium* ſpeciale.

X X V. Sed an non, voluntati quoque, ſive, animæ ut volenti, competat imperium, convenienter hic aliquis quærat? Non quidem æque voluntati in intellectum, atque huic in voluntatem imperium competere extra omne dubium eſt: interim tamen, etſi voluntas non imperet præſcribendo & præmonſtrando, nihilominus, recte cenſetur imperare movendo. Atque hinc actus voluntatis duplex vulgo ſtatuitur, *elicitus* & *imperatus*. Ille inde nomen habet, quod eum ipſa voluntas ex ſe eliciat, quodque in voluntate ſit, cum hic agnoſci debeat in alijs potentijs: talis eſt, V.C. velle, nolle, eligere, &c. *Imperatus* dicitur alter actus voluntatis, quem licet ex ſe non eliciat voluntas, excitat tamen illa aliam potentiam, à qua eliciatur, V.C. ambulare. Atque hoc imperium voluntatis ratione inferiorum facultatum eſt conſiderandum, quatenus, voluntas non quidem præſcribit illis, quid ſit faciendum (hoc competit intellectui) ſed impellit ad agendum. Quomodo vero voluntati ſubjaceat intellectus, adeo ut illa hujus imperio refragari queat, alias diſtincte explicabitur. Actus voluntatis elicitus duplex eſt: θέλησις, ſive appetitio, qua voluntas aliquid vult ſine prævia conſultatione, & προαίρεσις, ſive electio, quæ ſequitur præcedentem deliberationem.

X X V I. Accedendo vero proxime ad intellectus judicium, quo diſtincte cognoſcantur omnia, quæ ad illud pertinent, quædam antea intellectus diviſio proponenda eſt. Quanquam vero intellectus in ſe ſimplex eſt, ſolent tamen Philoſophi, illum duplicem vulgo conſtituere; Theoreticum ſcil. & Practicum, præeunte Ariſtotele lib. 3. de Anima cap. 9. tex. 49. Quæ diviſio par-

ſio partim deſumpta eſt à fine, partim ab objecto. Atque de fine quidem, loco dicto ſic ipſe Philoſophus loquitur: *Intellectus* (inquit) *qui alicujus cauſſa ratiocinatur, & qui eſt activus* (διαφέρει τῷ τέλει) *fine differt à contemplativo.* Nam contemplativus, ſeu Theoreticus, ſubſiſtit in nuda objecti & veritatis cognitione; cum practicus progrediatur ad conſultationem atque deliberationem, ordinando cognitionem ad motum & operationem, quatenus ſcil. non ipſe quidem aliquid agit, (officium enim illius eſt intelligere) ſed voluntati inferioribuſque facultatibus, quidnam agendum ſit, pręſcribit. A diverſitate hac finium, provenit proxime objecti differentia, unde non inconvenienter Philoſophi docent; Contemplativi intellectus objectum eſſe, res divinas, ſempiternas, & neceſſarias, quæ non ſunt in hominis poteſtate: Practici vero, humanas, variabiles, atque contingentes, de quibus, poſtquam cognoverit, certo conſultare & deliberare poſſit, quomodo aut fieri, aut produci poſſint. Ratione inſtituti noſtri, obſervetur: Theoreticum intellectum ipſiſſima intellectus operatione terminari; Practicum vero alia quadam operatione, quæ operationem intellectus conſequitur. Quæ differre patet V. C. ex hiſce enunciationibus: Nam, ut hæ coincidunt, *Iudico hoc eſſe credendum ut verum*, atque, *Credo hoc eſſe verum*: Ita non pariter coincidunt ſequentes: *Iudico hoc eſſe faciendum*, atque, *Hoc facio.* Quid vero interſit inter hunc intellectum practicum, & ipſum liberum arbitrium, poſtea liquere poterit.

XXVI. Ex hac diſtinctioue intellectus patet, practici ſolum intellectus rationem habendam eſſe, in ordine ad actus voluntatis, quam cæcam eſſe, & indigere intellectu, velut conſiliario & duce, jam antea patuit. Idem innuit Philoſophus, lib. 3. de Anima cap. 9. tex. 46. ſic loquens: *Intellectus* (inquit) *ſpeculativus nihil eorum, quæ ſub actionem cadunt, contemplatur, neq; dicit omnino quicquam, an ſit fugiendum, an perſequendum.* Atque iterum ibid. cap. 11. dicit: *Scientificum non movet.* Nec inconvenienter Cajetanus p. 2. qu. 77. art. 2. *Apprehenſio*, inquit (per

eam vero intelligere convenit judicium) *requiſita ad hoc, ut voluntas appetat aliquid, non eſt quæcunque cognitio (alioqui intellectio ſpeculativa ſufficeret, cujus oppoſitum habetur in lib. 3 de Anima;) ſed eſt cognitio judicans, & præcipiens hoc eſſe appetendum. Nunquam enim aliquis appetit, quod non judicat appetendum, judicio ſubito, vel deliberato, expedito, vel impedito, &c. Nunquam etiam aliquis judicata appetenda eſſe eligit, niſi imperet ſibi ipſi animus appetendum eſſe.* Quicquid vero intellectus exhibet voluntati ut appetendum, illud proponit ſub ratione boni, atque, ſi non ſit in ſe bonum, intellectui tamen apparet tale; cum illud quod intellectui videtur malum, voluntati proponatur adhoc, ut illud averſetur.

XXVII. Judicium porro, quod jam patuit eſſe neceſſarium, non habet ſedem in prima operatione intellectus, nec in ſimplici apprehenſione, quæ eſt ſolummodo inchoata quædam cognitio, quum *judicium ſit completivum cognitionis*, ſecundum Thomam 2. 2. qu. 173. art. 2. ſed in ſecunda, quæ cenſetur ſecundum compoſitionem & diviſionem; atque in tertia, quamvis hujus ratione, vulgo diſcurſus, ſeu Syllogiſmus practicus, item concluſio judicij vocari conſueverit. Pręterea, ſemper indiget motivo aliquo, adhoc, ut definiti judicij rationem habeat. Quatenus autem cenſetur, ratione ſecundæ operationis intellectus, diſtinctionem præſenti inſtituto convenientem admittit. Nam vulgo dividitur in *ſimplex* & *comparatum*. Secundum illud, intellectus ſimpliciter judicat, objectum, vel bonum vel malum eſſe: ſecundum hoc vero, ulterius adhuc progreditur, atque amplius judicat, objectum velut bonum eligendum, vel tanquam malum fugiendum eſſe. Atque hoc ſpeciatim apud Scholaſticos vocari ſolet *Imperium intellectus*. *Comparatum judicium* amplius diſtinguitur in *ultimum*. (alias vocatur *judicium practice practicum*) & *non ultimum*; illud præſupponit omnes circumſtantias probe expenſas & conſideratas eſſe, hoc vero non item. Porro imperium intellectus practici in actiones voluntatis imperatas, diſtinguendum iterum eſt, vel enim habet ſeſe generaliter & implicite, vel ſpecialiter & explicite. Illa ratione, modo ſolum

generali

generali, atque indefinite, fertur in actiones imperatas, nec aliter, quam reſolvi poſſunt in hoc imperium, quod implicite includunt: Hac vero ratione, ſpectat definite certas actiones facultatum inferiorum, ſpeciali ratione illas ordinando. Similiter in actionibus, quæ fiunt ſecundum certum habitum, non occurrit hoc imperium intellectus practici, niſi implicite & virtualiter, ſiquidem voluntas per talem habitum promtiſſime fertur in objectum: ut, intemperans ἕξει, luxuriandi occaſione oblata, non primum deliberat, quid agendum, quomodo vivendum, ſed ſtatim ſine diſcurſu, intemperantiæ ſe totum præbet. Hic igitur judicium datur nullum, niſi virtuale, dum aliquis ſemel vivendum eſſe intemperanter judicavit, unde etiam actiones tales non ſimpliciter dicuntur liberæ, niſi quoad principium, ſed quodammodo neceſſariæ: Tartaretus nominat Voluntarias liberaſque non formaliter, ſed *virtualiter*.

XXVIII. Hiſce ſic prælibatis, quo pateat tandem, quomodo intellectus ut practicus, ſecundum judicium prælucere & præire voluntati debeat, diſtincte expendere convenit, qua ratione intellectus ſecundum diverſos actus cum voluntate concurrat, ſic tamen ut ipſa cenſeatur libera. Atque (1.) intellectus aliquid ſimpliciter voluntati ut bonum proponit, citra comparationem ullam: quod quotieſcunque fit, voluntas incomplete quoque illud, quod proponitur, vult; eo tendendo ſine propoſito conſequendi, quem imperfectum voluntatis actum, vulgo in Scholis *Velleitatem* vocant: quam vulgo definiunt, ſed per modum potiſſimum exempli, imperfectum voluntatis actum quo vult finem, non volendo ſimul media. Interim hæc ipſa velleitas non coincidit cum volitionis negatione, ſed qualemcunq; volinem includit. Convenienter Tuiſſus lib. 2. Vindic. crimin. 4. ſect. 11. pag. 96. *Efficacis* (inquit) *volitionis negationem includit velleitas, non ſimpliciter omnis volitionis negationem. Vellem hoc facere, hoc eſt, molirer libenter hujus rei effectionem, quippe quam deſidero, ſed deſiderio ſpes nulla potiendi affulget: ideoque reprimo, cum conatus omnis irritus eſſe videatur.* Quoniam autem imperfecte ſe

habet

habet, atque ſolummodo deſiderium, ſeu votum inefficax dicit, Deo proprie tribui non poteſt: atque ubi Scriptura ſic loqui videtur, exiſtimandum eſt, eam loqui ἀνθρωποπαθῶς.

XXIX. 2. Si intellectus judicet, eſſe aliquid bonum ſimpliciter, vel etiam ſummum aut extremum bonum, voluntas id intendit actione (ut ita loquar) plena, atque id proprie dicitur, *Volitio*, Barbaro vocabulo. Alias, apud Auguſtinum ſæpe, ſed improprie, vocatur voluntas; quod vocabulum ordinario ſignificat ipſa facultatem. Quomodo Græci quoque diſtinguunt inter τὴν θέλησιν & τὸ θέλημα. Sic enim loquitur Damaſcenus lib. 2. de Orth. Fide, cap. 22. interprete Billio: *Sciendum* (inquit) *eſt* θελήματος *vocabulo, quandoque* θέλησιν *aut facultatem volendi ſignificari, & tum naturalem voluntatem dici: quandoque autem id quod volumus* (θελητὸν, quod Faber Stapulenſis & Acciaolus, apud Ariſtotelem vertunt *affectabile voluntate*) *tum ſententiæ voluntatem* (θέλημα γνωμικὸν) *appellari*. Hæc autem volitio, eſt proprie βούλησις, de qua antea quid notabamus, & fertur in finem, qui in ſe abſolute bonus eſt. Hinc enim Ariſtoteles lib. 3. Eth. Nicom. cap. 7. ὄντος δὴ, βουλητὸν μὲν, τοῦ τέλους. Ad quæ verba ſic Euſtratius ex noſtra *interpretatione*: Voluntati enim (*inquit*) finis objectus eſt, ut dixit Philoſophus: deliberationi autem id quod ad finem facit, & finis effectivum eſt. Omne enim, de quo deliberatio eſt, relationem ad finem habet. *Hactenus Euſtratius*. Cæterum βουλητὸν quoad naturam, eſt revera bonum. Sed quia, qui volunt, alij boni, alij mali ſunt: illorum voluntati, revera bonum, horum, apparens tantum bonum eſt propoſitum. Quamvis contingere poſſit, ut etiam bonus, errore quodam velit apparens bonum: & contra malus, fortuito velit revera bonum: Quod & docet Ariſtoteles lib. 3. Eth. Nicomach. cap. 6. ſic loquens *per interpretem*: Dicendum eſt, abſolute & revera, ſub voluntatem cadere id, quod apparet bonum. Viri boni igitur voluntati eſſe propoſitum, quod revera bonum eſt: vitioſo autem, quicquid fors obtulerit, ut & corporibus bene quidem conſtitutis, ſalubria ſunt ea, quæ revera ſunt talia, morboſis autem & ægris alia. *Hæc ille*.

3. Quan-

XXX. 3. Quando intellectus aliquid decernit prævia conſultatione, (à Græcis vocatur βούλευσις) voluntas aliquid amplectitur actione illa, quæ dici ſolet electio, & à Græcis προαίρεσις. Sic enim Ariſtoteles lib. 1. Magn. Moral. cap. 18. *Ita ſe habere* (inquit) προαίρεσις *ſive electio videtur, ut nomen ejus innuit. Etenim* προαίρεσις, *ſeu electio, eſt, cum eligimus hoc potius quam illud, quod melius eſt nimirum, loco ejus quod eſt deterius in opinione poſitum.* Et 2. ad Eudem. c. 10. ἡ προαίρεσις, αἵρεσις μὲν ἐστὶν, οὐχ ἁπλῶς δὲ ἀλλ' ἑτέρου πρὸ ἑτέρου. *Electio enim eſt optio, ſed non ſimpliciter, verum alterius præ altero.* Nemeſius etiam c. 33. προαιρετόν ἐστι τὸ πρὸ ἑτέρου ἕτερον αἱρετόν: quod, ſervata paronomaſia, Nicaſius Ellebodius ita reddidit: *Eligitur id, quod, præ altero legitur.* Tribus vero modis electio fit: Primo cum tria, vel etiam plura, proponuntur, ex quibus unum eligendum eſt: quomodo David ex pœnis propoſitis tribus, nempe famis, belli, peſtis; elegit peſtem. 2. Sam. 24. v. 12. Et item Salomon, non elegit petere à Deo divitias, aut honorem, aut vitam oſorum ſuorum, aut longævitatem, ſed ſapientiam & notitiam regendi populum. 2. Par. IV. 11. Secundo, cum ex duobus contrarijs alterum eligitur: ut cum homo virtute & vitio propoſitis, alterutrum eligit; quemadmodum Hercules Prodicij etiam fingitur cum ſibi duæ formæ virtutis & vitij occurriſſent, virtutem elegiſſe. Quo etiam pertinet electio inter vitam & mortem; quanquam hæc privativa ſunt. Tertius modus electionis eſt, cum uno ſaltem propoſito, id, vel eligitur, vel non eligitur, ſeu reſpuitur. Unde etiam libero arbitrio, ad primum illum modum electionis, quæ liberi arbitrij actus eſt, libertatem ſpecificationis: ad ſecundum, libertatem contrarietatis: ad tertium, libertatem contradictionis, tribuunt. Mirum nulli videri debet, quod hic exemplo variorum Scholaſticorum, diſtinxerimus inter libertatem contrarietatis & ſpecificationis; quum tamen ſupra ex Th. 16. patere videatur, hæc duo coincidere. Neque enim inſolens Philoſophis, & Scholaſticis Doctoribus, quando ſubtiliſſime aliquid explicare volunt, diſtin-

ctionum generaliorum terminos, coincidentes quaſi alias, ſpecialioribus conceptibus per eorundem ſubdiſtinctionem aptare. Porro, ratione Electionis hoc notandum, quod non omnis electio præſupponat prævіam conſultationem, aut deliberationem: ut patet *primo* in Deo, cui quamvis tribuatur electio, non tamen convenit deliberatio, (ut ſupra Th. 6. obiter innuebamus) hæc ſiquidem ſemper difficultatem aliquam, moram, & dubitationem præ ſe fert. Unde, quoties aliquid in Scriptura, deliberationem arguens, Deo tribuitur, hoc cenſendum eſt fieri, per τὴν ἀνθρωποπάθειαν. *Secundo*, in nobis quoque poteſt eſſe electio abſque deliberatione, ſi ſcil. res ab intellectu monſtretur aut valde plana, aut indifferens; tum enim voluntas citra ulteriorem deliberationem intellectus, aut ſtatim eligit, aut reſpuit. Imo, *tertio* hoc evincit ipſa βούλησις, ſive volitio, quatenus diſtincta eſt à προαιρέσει, ſive Electione.

XXXII. Ex his omnibus liquet, tum ad Velleitatem, tum Volitionem, tum etiam Electionem voluntatis, requiri intellectus judicium, atque hactenus voluntatem non velle aliquid, niſi ſecundum intellectus judicium: aut in actibus elicitis, aut imperatis, ſi non explicite, ſaltem implicite, prout ſupra diſtinguebamus: an vero pariter ab hoc judicio determinetur, quæritur? Supra Theſi 10. Intellectui in ſe convenire indifferentiam & indeterminationem, etiam quando præit voluntati, innuebamus; ſiquidem ſic præit voluntati, ut uſque ad judicium ultimum, aliter atque aliter objectum voluntati exhibere poſſit. Atque hæc potentia intellectus, uſque ad ultimum ejuſdem judicium, indeterminatio, item ἀδιαφορία vocari non inconvenienter conſuevit: nihil quippe certius eſt, quam in intellectu eſſe indifferentiam objectivam, Quæſtio vero hic maxime movetur, ratione ultimi judicij practici intellectus, an ſcil. ita ab eo determinetur voluntatis libertas, ut eidem reſiſtere non poſſit. Atq; ſic quidem ſtatuunt plurimi ex Thomæ aſſeclis, etiamſi alias doceant, libertatem formaliter eſſe in voluntate. Speciatim Javellus lib. 9. Metaphyſ. qu. 5. & Soncinas lib. eod. qu. 14. quos ex

recentioribus ſequuntur Bellarminus lib. 3. de lib. arbit. cap. 8. Gregorius de Valentia tom. 3. qu. 12. diſp. 2. §. 5. & Bartholomæus Medina in 1. Secundæ, qu. 9. art. concl. 2. Eandem ſententiam ex Reformatis ſerio propugnavit Joannes Camero in Reſponſ. ad Epiſt. viri docti, (quem poſtea conſtitit fuiſſe M. Simonem Epiſcopium) in Collatione habita cum Tileno, & in Prælect. Tom. 2. in Matth. cap. 18. verſ. 7. multique alij, viri ſummi, tum ex ordine Theologico, tum etiam Philoſophico. A quibus tamen circa hoc quæſitum in alia omnia abeunt pleriq; Scoti aſſeclæ, ut ex Antonio Andrea docet Javellus lib. 9. Metaph. cap. 2. Scotiſtas ex recentioribus ſequuntur Fonſeca in 9. lib. Metaph. cap. 2. qu. 3. Suarez in Metaphyſ. Diſput. 19. ſect. 5. & 6. & lib. 1. de auxilijs Gratiæ cap. 11. concl. 20. Ruiz de ſcientia Dei diſp. 54. Vaſquez, & varij alij DD. Pontificij, præſertim ex ijs, qui ſcientiam mediam propugnant, qui & contendunt, liberum arbitrium everti, ſi ſtatuatur, voluntatem neceſſario ſequi ultimum judicium intellectus Practici. Licet hac de re contendatur adhuc acriter inter DD. Pontificios, ſpeciatim inter Dominicanos & Franciſcanos, ut docet Joannes Rada Epiſcopus Pactenſis in ſecunda parte Controverſ. 11. art. 2. Atque, ne dicam de Remonſtrantibus & Lutheranis multis, haud pauci quoque ex Reformatis Theologis & Philoſophis, adverſantur huic determinationi liberi arbitrij, ab ultimo judicio intellectus practici. Inter diſſentientes judicium meum interponere hoc tempore nolo. Interim lubens fateor, argumentum quod quidam deſumunt à natura libertatis, ut negetur voluntatem determinari ab ultimo judicio intellectus practici, nullius ponderis eſſe. Siquidem, dato quoque, ejuſmodi neceſſitatem voluntati naturalem eſſe, non tamen ea pugnabit cum libertate.

XXXIII. Redeundo ergo ad continuationem concluſionum, uſque ad quinarium numerum jam antea deductarum. *Septimo* dicimus: Non poſſe liberum arbitrium, qua tale, ſeu animam, velut volentem libere, deſtitui moderamine intellectus, ſive ejuſdem judicio. Sic enim ſe habet intellectus ad vo-

luntatem, ut tanquam dux præcedat: fidem facientibus illis, quæ antea notavimus. Adeo ut non inconvenienter cenſuerit Thomas Braduardinus (aliquoties apud eum me notaſſe memini, locum tamen definitum, inter tot occupationes, hoc tempore invenire non poſſum) dicendum potius, *arbitrium liberum*, quam *liberum arbitrium*: quod hactenus concederem, niſi obſtarent illa, quæ ratione vocis *arbitrij*, ſupra Th. 2. annotavi. Atque hactenus requiri ad liberum arbitrium, prævium intellectus moderamen, patet nec amplius; oſtendunt pleræq; authoritates à D. Camerone, in Tractatibus ſupra indicatis, adductæ.

XXXIV. *Octavo*: Nec tamen voluntas, (cui, qua tali, formaliter libertatem competere, ſupra oſtendi) concurrendo cum intellectu velut duce, cenſeri poteſt mere paſſiva, ut placuit nonnullis, qui alias, ratione duntaxat eam diſtingui volunt ab intellectu. Nam, ut uſurpem verba Meiſneri, Lutherani licet, ex Philoſophia Sobria, *part.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 1. *Quæſt.* 6. Voluntas noſtra, (*inquit*) libera eſt, non tamen bruta, non cæco quodam fertur impetu, ſed ſua movetur ratione. Harmonia igitur hic eſt ſuaviſſima inter mentem & voluntatem, ita ut unius actio, alterius opus non amoveat, ſed promoveat, perficiat, non interficiat. Etiamſi igitur intellectus, quid agendum ſit, moneat, & voluntas monenti obſequatur, tamen non coacte ſequitur, vel prorſus neceſſario, verum liberrime, quoniam ſuaſio intellectus non neceſſitat, non cogit, ſed ſolum amice invitat, cui, quod non reluctatur voluntas, id, non impulſu quodam neceſſario, ut nonnullis placet; ſed ex libera conſpiratione facultatum dependet. *Hæc ille*. Scilicet, ſequitur voluntas intellectum eidem non refragando, atque ſic ſe cum illo componendo, ut poſtquam compoſita fuerit, refragari non poſſit; ita tamen, ut in hac ipſa harmonica comparatione, aliqua actio, aut, (ſi ita loqui fas ſit) reactio voluntatis ad intellectum obſervari debeat. Videatur Alvarez Diſp. 116. n. 6. & ſeqq.

XXXV. *Nono*, Ita ergo ratione cujuſcunq; judicij intellectus, maxime ultimi accidit, ut voluntas ſi ſecundum intel-

lectus

lectus judicium, aliquid proponatur, ut eligendum, vel, ut fugiendum, poſſit, cum intellectu quaſi ſe ſociando, eundem movere, ut pro actuali, ſive electione, ſive averſatione, eodem moveat, ut ulterius progrediatur in judicio illo, quod inchoavit. Neceſſum omnino eſt, (prout patet ex antecedentibus] ut voluntas ſeſe conformet alicui judicio intellectus, non vero huic illive, quod intellectus primo propoſuerit, licet comparate quaſi, & velut ſecundum ultimum ſui dictamen. Quod cum per exempla non inconvenienter videatur poſſe doceri, haud abs re fuerit caſum fingere. V. C. ergo, intellectus ſecundum ſimplex judicium, homini irregenito & vindictæ ſtudioſo dictet, malum eſſe inſontem occidere; atque dein ſecundum judicium comparatum, hunc, hic, & nunc, ut inſontem non eſſe occidendum; ὁ Δεῖνα mox ad Titium, Mæviumve occidendum non prorumpet, alias appeteret malum, qua malum: Sed, ut vindictæ ſtudio æſtuat ceſſans hactenus voluntas, idem cum intellectu ſuppoſitum nacta, movebit tacite intellectum, quo ulterius conſultet, an non cras, aut perendie, aut quocunq; die, ſi in angulo ſecreto Titij offeratur copia, hic ipſe tanquam vindictæ debitus, ſit occidendus. Simul intellectus, movente huc tacite voluntate, [quæ tamen non poteſt cognoſcere præcedentes cirmcuſtantias] ſecundum erroneum judicium, apprehendendo vindictam velut quid boni, decernet Titium oportuno tempore occidendum eſſe, conſentietque pariter voluntas intellectui; quod jam antea intellectui, in ſuo judicio formando occupato, ſe immiſcuerit, uſque ad talem determinationem. Nec ſic interim fertur in incognitum voluntas, nec appetit malum qua malum, quum non niſi ſe ſociet intellectui, aliquid ut bonum oſtentanti. Simul voluntas ſequitur judicium practicum intellectus; quod, ut finire debet conſultationem intellectus, & hic interponi ante electionem voluntatis; ita actus, quo voluntas inducit intellectum ad judicium practicum ultimum, & ipſum hoc judicium, ſic convolvuntur, ut evadant unus & idem actus, ad electionem tendens.

liberi arbitrij formalitas. Egregie, loquitur Rhetor Fortis l.d. §. 10. *Dicimus iſta includi in formali ratione libertatis. 1. Non coactionem. 2. Superaddere non coactioni indifferentiam objectivam. 3. Superaddere indifferentiam etiam internam & vitalem, qua voluntas libera velle hoc vel nolle poteſt, citra actus primi & ſecundi diſpendium & jacturam. 4. Tandem omnibus ſuperaddi vitalem illam electivam & imperatricem vim, ab ipſis libertatis viſceribus (ut ſic loquar) manantem, & hiſce libertas ab omnibus potentijs diſtinguitur.*

XXXVII. Ex ijs, quæ hactenus diximus, colligere poſſumus ſequentem liberi arbitrij definitionem, qua natura illius cum pleniſſime explicatur, tum propria quoque formalitas indicatur: *Liberum arbitrium eſt facultas animæ rationalis, ſecundum quam voluntas immunis à coactione, neceſſitate objectiva, & Phyſica, ſubſerviendo tum Dei decreto, tum ejuſdem concurſui, & prædeterminationi; ſecundum moderamen intellectus practici, ſic ſeſe ſociat cum ejuſdem judicio, ut ſecundum propriam determinationem, unum præ alio, vel ut faciendum, velut omittendum eligat.* Omnia, quæ in definitione hac occurrunt, ſupra diſtincte probata fuerunt.

XXXVIII. Et ſic patet, quid exiſtiandum ſit de libero arbitrio, quatenus eſt naturalis hominis facultas. Alia ratio eſt viriū ipſius, quas pro diverſo hominis ſtatu, diſtinctius & expendere, & ſecundum Scripturæ filum, (quod hic duntaxat eſt ſequendum) non quidem Philoſophi, ſed Theologi determinare debent. Quanquam (ut ſupra ex Bellarmino ipſo oſtendimus) adverſarij Orthodoxæ veritatis, perpetuo fere Elenchum committunt, dum pro libertate naturali hominis (quæ neutiquam controverti hic poteſt, ut ſupra vidimus) concludunt, non vero pro viribus ejuſdem, quod ad ſpiritualia. Jam olim hac de re ipſe Auguſtinus conqueſtus fuit: ſic enim ſcribit lib. 4. contra Julianum Pelagianum cap. 8. *Aſſeris (inquit) me in alio libro meo dixiſſe, negari liberum arbitrium, ſi gratia commendetur: & iterum negari gratiam, ſi liberum commendetur arbitrium. Calumniaris.*

XXXVIII. Præterea ex ijs, quæ hactenus diximus conſtat, non omnem neceſſitatem cum libertate pugnare; ſed eam

ſolum, quam anteà eidem adverſariam eſſe oſtendimus. Quod uſque adeo verum eſt, ut ipſi adverſarij, volentes nolentes fateri cogantur. Præter multa alia, quæ hic dici & annotari poſſent, ſuffecerit ad partes vocaſſe Jeſuitam Ruiz, qui in Tom. de Scient. Dei Diſp. 80. & in tomo de providentia prædefiniente Diſp. 10 & 11. tres ſpeciales quoq; modos annotat, quibus hoc fieri queat, neceſſitate etiam antecedenter ad libertatem conſiderata. Primus eſt, neceſſitas & infallibilitas moralis, ex ſpeciali vi & energia motivorum allicientium, & collectione omnium circumſtantiarum, quibus poſitis, eventus certiſſime & infallibiliter ſequitur; ita ut contradictionem implicet, eum non fore. Secundus eſt, infallibilitas ob vehementiam, argumentum, & intenſionem Divini concurſus, etiam quando motiva ex parte objecti cogniti, leviter voluntatem movent. Tertius eſt, ſi habitus ſive infuſus, ſive acquiſitus tantopere intendatur, ut infallibiliter, data occaſione, inclinet ad ſuos actus eliciendos.

XXXIX. Nec Dei determinatio libertati voluntatis, ſe ſecundum inſitam ſuam facultatem, ſemper determinantis, ſecundum intellectus judicium, quicquam libertati ejuſdem adverſari poteſt; (nam, præſuppoſitis iis, quæ alias docuimus de concurſu Dei) ſiquidem Deus eam non movet, contra naturam ipſius, ſed ſecundum hanc; pariterque efficit, ut tanto melius ipſa libertatem ſuam exerceat. Nam, ut dicit Auguſtinus lib. 7. de Civ. Dei, cap. 30. *Sic adminiſtrat Deus omnia, quæ creavit, ut etiam ipſa proprios exercere & agere motus ſinat.*

XL. Sed, an etiam voluntas, eo momento libera eſt, quo aliquid vult, ſeſeque determinat ſecundum intellectus judicium? Negarunt Nominales omnes, præeunte Occamo 1. Sent. Diſtinct. 38. qu. 1. cæterum Scotus, quem plurimi ſequuntur, in alia omnia abit. Nec præter rationem, nam 1. ſi voluntas eo inſtanti, quo elicit actum, non eſt indifferens ad eliciendum & non eliciendum, nunquam eſt indifferens, ſiquidem, reſpectu illius inſtantis, propriè libera cenſetur. 2. Nemo delinquit actu, prout notum eſt, niſi cum id agit, quod tum, quando agit, poterat non agere. Quod ſi ergo, (prout cenſet Occamus) nemo cum aliquid agit, poteſt idem non agere; nemo quoque peccabit, quando quid agit, ſed antequam quid agat, tum ſiquidem id vitare poterat. At hoc abſurdum. Falſus vero fuit Occamus, quod confuderit prioritatem naturæ, cum prioritate temporis. Prior quidem eſt naturâ potentia ad agendum & non agendum, quam agere. Nec tamen ideo prior eſt tempore. Deinde confundit ſenſum compoſitum cum ſenſu diviſo: etſi enim poſito quod potentia agat, non poſſit non agere: poteſt tamen abſolute loquendo, & illo non ſuppoſito, uno & eodem puncto temporis; licet puncta naturæ diſtinguantur.

XLI.

APPENDIX

Quarundam Theſium, Publicè nec Ventilatarum nec propoſitarum, quod propius ad Theologiam ſpectent.

XLI.

QUum & intellectus & voluntas (ut ſæpius ſupra oſtenſum fuit) à parte rei unum & idem ſint, atque dici non poſſint realiter diſtingui, adhoc (ut dilucide oſtenſum fuit, & alias cum Deo prolixius demonſtrabitur) determinatio active magis conveniat animæ ut volenti, quam ut intelligenti, licet anima ut volens ſubſit imperio (hoc antea explicatum fuit) intellectus; quæritur, an voluntas, ſeu anima qua volens, errare poſſit, nullo præcedente errore intellectus? Ne vero hic referam aliorum varias opiniones inter ſe diſtinctas, ideo maxime, quod rationem determinationis à parte liberi arbitrii, quidam ultimo judicio practico intellectus deferrent, alii vero voluntati tribuerent has partes, uſque adeo, ut etiam reſiſtere poſſit ultimo judicio practico intellectus; nos inſiſtendo lineis jam antea à nobis ductis, paucis aſſertionibus cuncta complectemur. Ergo, dicimus quod Ignorantia, à qua provenit error, vel mere negative ſe habeat, vel conſideretur formaliter, vel ſit interpretative ſolummodo talis. *Prima* eſt totalis neſcientia, atque invincibilis, ſimulq; excuſabilis habetur, ſi ſit ignorantia non affectata juris poſitivi, ſive humani: non verò júris Naturalis. Illa ignorantia actionem reddit involuntariam, adeo ut non poſſit dici formaliter voluntas errare, eo, quod agat involuntario æque, atque cum vim patitur. Si enim voluntas noviſſet *ſecundum judicium intellectus* jus illud, aliter egiſſet. Secus verò exiſtimandum eſt, ra-

 tione

tione habita juris naturalis, ſeu juris congeniti, quod ratione ſuę cauſſæ efficientis, recte quoque vocari jus Divinum, alibi ex profeſſo docuimus. Quod jus ſi quis ignoret, cenſetur eſſe ignorantia pravæ diſpoſitionis, quę ut neminem excuſat, ita nunquam poteſt eſſe invincibilis, vel inculpabilis. Actio ſecundum craſſam hanc ignorantiam, licet non poſſit directe cenſeri voluntaria, talis tamen eſt indirecte, quum fundamentum habeat in negligentia, quæ eſt quædam ceſſatio voluntatis. Directe interim voluntaria eſt ignorantia affectata, qualis V.C. offenditur in multis Papicolis, qui renuunt intereſſe concionibus Orthodoxorum, ne forte convertantur: ſiquidem deſtinato animi propoſito talem ignorantiam intellectui ſuo accerſunt. Porro ignorantia formaliter talis, quam alij vocant formalē ignorantiam, nihil aliud eſt, quam defectus ſcientię adeſſe debitæ. Erronea vero voluntas non ſemper pręſupponit talem ignorantiam definite & formaliter à parte intellectus: prout oſtendunt illi, qui peccant ex malitia, atque contra conſcientiam, ſiquidem illud agunt, quod optime norunt, malum eſſe. Præterea, quivis novit, ſe ſæpius propter adhærentem voluptatem illud appetijſſe, quod iudicabat malum eſſe: atque vice verſa bonum declinaſſe, ob conjunctam moleſtiam. Certo jndicio, quod voluntas poſſi falli appetendo, nec æque tamen formaliter falli intellectus in judicando. Interim tamen hic occurrit ignorantia quædam interpretativa, ſive, ut ita loqui liceat, inconſiderantia intellectus, quam veroſimile eſt ſemper conjunctam eſſe cum errore voluntatis. Nam licet aliquis norit, illud, quod appetit, malum eſſe, ſępe tamen illud non conſiderat; nec tam accurate conſiderat, atque deberet. Prout recte Thomas probat: ſiquidem illud, quod debet appeti à voluntate, debet pariter illi offerri ſub aliqua ſaltem ratione boni, ſcilicet quod illud vel jucundum, vel utile, vel alias conveniens nobis ſit, licet interim in ſe non fuerit honeſtum; item, quod hoc tempore nobis conducere videatur, etſi alias ſimpliciter non conducat. Par ratio eſt eorum, quæ voluntas adverſatur, niſi

quod

quod contrario modo ſe res habeat. Hoc quoque fieri poteſt (ſi non ſemper fiat) ut, quando jam electio à voluntate errante inſtituitur, tum ſequatur approbatio quædam intellectus ſimulque formalis ignorantia, id eſt, ut quod antea quis ex inconſiderantia fecit, poſtquam id facere jam conſtituit, ſimpliciter bonum eſſe iudicet: quod ſuadet arctiſſima illa cognatio, quæ intercedit inter intellectum & voluntatem, de qua in ſuperioribus aliquoties egimus.

XLII. Hęc, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, ſerviunt explicandæ arduæ illi quæſtioni, quæ movetur circa lapſum primorum noſtrorum parentum in Paradiſo. Quos labi potuiſſe, mirabitur aliquis non immerito, ſi attenderit ſummam perfectionem, quæ in illorum anima erat. Quam ſic convenienter deſcribit Calvinus lib. 1. Inſtitut. cap. 15. ſect. 8. *Ergo animam* (inquit) *hominis Deus mente inſtruxit, qua bonum à malo juſtum ab injuſto diſcerneret: ac quid, fugiendum & ſequendum ſit, praeunte rationis luce, videret. Huic adjunxit voluntatem, penes quam eſt electio. His praclaris dotibus excelluit prima hominis conditio, ut ratio, intelligentia, prudentia, judicium, non modo ad terrena vitæ gubernationem ſuppeterent: ſed quibus tranſcenderent uſque ad Deum & æternam felicitatem. Deinde ut accederet electio, quæ appetitum dirigeret, motuſque omnes organicos temperaret: atque voluntas rationis moderationi eſſet prorſus conſentanea in hac integritate, liberi arbitrio pollebat homo, quo ſi vellet, adipiſci poſſet vitam æternam.* Sed, ſi tam ſano judicio, atq; tamen ſancta voluntate homines præditi fuerunt, qui fieri potuit, ut à bono ad malum deficerent, & conſequenter Divinam imaginem amitterent? Sed ſciendum eſt, quod quanquam primęva & congenita eorum conditio bona fuerit, tamen erant creaturæ, & conſequenter mutabiles: ſolus enim Deus eſt ſua natura immutabiliter bonus; & quod boni angeli, poſtquam ſunt confirmati, & homines beati in cęlis, deficere non poſſint, id non habent à natura, ſed ex ſupernaturali dono & gratia Dei. Quod de homine ibid. præclare Calvinus docet his verbis: *Quia* (inquit) *in utramque*

 partem

partem flexibilis erat Adami voluntas, nec data erat ad perſeverandum conſtantia, ideò tam facile prolapſus eſt. Libera tamen fuit electio boni & mali: neque id modo, ſed in mente & voluntate ſumma rectitudo, & omnes organicæ partes rite in obſequium compoſitæ, donec ſe ipſum perdendo bona ſua corrupit. Potuit ergo homo propria ſua voluntate cadere, quodque tam felici ſtatu exciderit, referri debet ad propriam voluntatis libertatem: quæ, ut potuit ſe determinare ad alterutram partem, ita ſe determinavit in peiorem partem. Sed, cum voluntas nihil appetat niſi ſub ſpecie boni, proinde videtur agnoſcendus eſſe error in intellectus judicio, dum exiſtimarit illud bonum eſſe, quod revera tale non erat, ſed potius, malum in ſe. At, quomodo potuit ejuſmodi error contingere in judicio, quod tanta perfectione præditum erat, ut verum à falſo, & bonum à malo diſtincte poſſet diſcernere? Non incommodè reſpondetur, interim ejuſmodi errorem poſſibilem fuiſſe, & proveniſſe ex incogitantia, vel inconſideratione, ſive, ex defectu ſufficientis conſiderationis. Nam ſi intellectus, ut erat eximia ſapientia inſtructus, ita ſufficienter conſideraſſet ea, quę ad officium ejuſdem ſpectabant, certe neque erraſſet circa officium. Sed quærat quis amplius, utrum iſta conſideratio, quæ primis parentibus deerat, ab ijs adhiberi debuerit? Si non debuit, neque iſta inconſideratio vitio illis vertenda fuit, neque ab illa peccatum provenire potuit. ſi enim aliquis non conſideret illud, quod non tenetur conſiderare, malum hoc non eſt, nec mali cauſſa eſſe poteſt. Si vero debuit conſideratio adhiberi, atque adhibita non eſt, tum inconſideratio illa vitioſa fuit, imo peccatum, cum officio repugnet; maxime quod illa conſideratio, ut debuit adhiberi; ita etiam potuit adhiberi: ſiquidem nihil debuit fieri ab homine in ſtatu integritatis, quod non pariter potuerit ab eo fieri. Et quoniam potuit ac debuit ſufficiens conſideratio ab homine integro adhiberi, inconſideratio hęc ſane (juxta illa, quæ dicta ſunt Theſi ſuperiori) fuit voluntaria, ſcil. indirectè, aut, ut ibi loquebamur, interpretative.

XLII. Inter

XLIII. Interim recte Orthodoxi Theologi, docent ita Adamum libere peccaſſe, ut nihilominus neceſſario peccarit reſpectu decreti Divini permiſſivi, non quidem ſecundum neceſſitatem conſequentis, verum conſequentiæ, ſive ſecundum neceſſitatem hypotheticam atq; infallibilitatis eventus; quæ, ut ſupra Th. 20. oſtendimus, amice conſpirare poteſt cum libero arbitrio. Ut vero ipſe lapſus determinatus erat à Deo, ſic etiam illius modus; ſcil. ut & Adamus neceſſario peccaret, & liberrime. Atque non opponitur neceſſarium proprie libero, ſed contingenti. Præterea actus Adami labentis conſiderari poteſt vel in ſenſu diviſo, vel in ſenſu compoſito; illo reſpectu poterat non admitti, non æque vero hoc reſpectu. Quod etiam in omni voluntatis determinatione conſiderari poteſt. Præterea ut actus aliquis neceſſarius, imo, & naturalis cauſſæ ſecundæ, agentis ſine ulla libertate vel ſpecificationis vel exercitij, non deſinit eſſe liberrimus ratione cauſſæ; ita, vice verſa, actus qui eſt neceſſarius ratione cauſſę primæ, non deſinit eſſe liberrimus ratione cauſſæ ſecundæ, atque ab iſta cauſſa, velut proxima, ſuam ſpecificationem recipit. Nec hac ratione Deus redditur author peccati, ut quidam Orthodoxis abſurde objiciunt. Siquidem licet Deus ab æterno decreverit lapſum primi hominis permittere, atque hic ſecundum ſenſum compoſitum, ſive, poſito hoc ipſo decreto, non potuerit non labi: non tamen Deus aut tentatori inſpiravit voluntatem tentandi, aut eum ad tentationem vel impulit vel adegit, ſed ſolummodo eam permiſit. Præterea nullam gratiam in creatione datam, homini tentato ſubtraxit, nec illius voluntatem ad tentationis admiſſionem, atque aſſenſum, vel impulit, vel coëgit: Sed ſolummodo ei non contulit novam gratiam, per quam poſſet confirmari in gratia per creationem communicata. Ad quam præterquam quod non obligabatur, amplius eam nec dare voluit, nec debuit. Non voluit, quoniam eſt liberrimus donorum ſuorum diſpenſator. Nec etiam debuit, ſiquidem 1. conveniens erat homini permitti liberum exercitium facultatum per creationem col-

latarum, ut ſciret ſe ſine Deo nihil facere poſſe, juxta illud, quod Joh. 15. 5. Chriſtus dicit. 2. Quia obſequium creaturæ, à Creatore jure explorari poterat. 3. Quoniam ſapientiſſimus Deus conſtituerat, juxta ſingularem œconomiam, circa tentationem & permiſſionem lapſus, ſapientiſſimos & optimos fines educere. Hæc ipſa vero permiſſio, cujus Theologi meminiſſe ſolent, à parte Dei, circa hanc doctrinam, agnoſcenda eſt Phyſica, aut, ut alij loqui ſolent, ſimplex, conſiſtens in non impeditione: neutiquam vero poteſt eſſe permiſſio Moralis, aut Ethica, quæ alias à Scholaſticis vocari ſolet permiſſio approbans, ideo quod per approbationem, ſive conſenſum illius, quod permittitur, ſeſe prodere conſueverit. Tantum enim abeſt, ut Deus probaverit lapſum primorum parentum, graviſſime eundem deteſtatus fuit, imo & punivit.

XLIV. Lapſus homo, cæterum libere, ut jam dictum fuit, ſe ſuoſque poſteros ut calamitatum profundo immerſit; ita ſimul liberum ejuſdem arbitrium ratione exercitij multis modis circumſcriptum fuit à parte objecti, habentis ſe ſecundum contraria, bonum ſcil. & malum. Conſiderabimus vero ita hanc circumſcriptionem, (Theologis interim relinquendo illa, quæ putant eſſe fori Theologici) ut pateat liberum arbitrium in genere Entis conſideratum, homine ſub quocunque etiam ſtatu ſpectato, eodem ſeſe ſemper modo habere. Atque, ſi quidem attendamus hominem lapſum in ſtatu ſuæ miſeriæ, totus immerſus eſt peccato, eique immortuus & ſecundum omnes quaſi animæ ſuæ vires corruptiſſimus: intellectu excæcatus, voluntate depravatus, & affectibus rebellis, cum omnimoda impotentia ad bonum ſpirituale, uſque adeo, ut eadem ſit immutabilis per naturam, prout patet ex notis textibus, Gen. 6. 3. Matth. 7. 18. & 12. 33. Joh. 14. 17. Rom. 8. 8. 1. Cor. 2. 14. Eph. 2. 1. Non quidem diffitendum eſt, ex Dei ſingulari gratia, in homine hoc modo ſecundum ſpiritualia corrupto, ſupereſſe adhuc aliquales reliquias primævæ perfectionis; prout oſtendunt communes notiones de Deo ut ente primo & omnipotente, de

te, de vero & falſo, de honeſto & turpi &c. ac proinde arbitrium, non quidem ſervum, (tale revera eſt quod ad ſpiritualia) ſed quadantenus liberum cenſendum eſſe circa bonum Ethicum & Politicum; prout evincunt affectuum & locomotivæ facultatis cohibitio, diſciplina externa, prudentia gubernandi actiones externas, & id genus alia: Interim tamen ut ex impuro fonte pura aqua non poteſt profluere, atque principiata ſe componunt ſecundum principia, hæc ipſa multis modis deficiunt aut in actu, aut in modo actus, ſemper vero in conditionibus eſſentialibus actus ut boni. Adeo ut recte dicat doctiſſimus Pariſienſis de Sacr. Baptiſ. cap. 3. *Mens humana, gratiam ſanctificationis nondum adepta, nihil aliud eſt niſi cadaver, ſive morticinum.* Nam & ipſa Scriptura, peccatores nondum renatos *in peccatis mortuos eſſe* pronunciat, Eph. 2. 5. Nec tamen irregeniti neceſſario, ſed libere peccant; quoniam in ſe habent principium impellens ad malum originale ſcil. vitium; ſimulque deſtituuntur principio trahente ad bonum, gratia ſcil. Divina, quam Deus, qui eſt agens liberrimum, aliis non confert, niſi illis, quibus conferre voluerit. Eoque, poſito Dei decreto permiſſivo ſimplici, ſeu Phyſico, non poſſunt non in omne malum præcipites ruere. Voluntas corrupta non poteſt quidem per ſe nativam corruptionem exuere, interim tamen libere fertur ad perpetrandum malum. Ut enim dicit Pariſienſis libel. de vit. & pec. *nihil magis ſubeſt libero arbitrio, quam quod eo fluit libenter & gaudenter.* Præterea nihil æque eſt voluntarium, quam illud, quod in ipſo actu voluntati maxime placet. Unde illud Auguſtini contra duas epiſt. Pelag. lib. 1. cap. 2. *Arbitrium liberum* (inquit) *uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant.* Vitioſus habitus peccati inclinat quidem voluntatem ſemper ad malum, non tamen determinat, aut cogit hominem ad hoc illudve malum, hic & nunc perpetrandum. Quod hinc manifeſtum; quoniam homines impuriſſimi quoque, ſcelera ſua aggrediuntur prævia deliberatione & judicio rationis; quod temporis opor-

tunitatem captant; quod denique ad ipſum facinus accincti, temperare tamen ſibi non queant, etiamſi præſens periculum oculis obverſetur: quæ omnia certo evincunt libertatem ijs non deeſſe.

XLV. Quum vero placeat Deo, quoſdam, ex ijs qui lapſi ſunt, ex ſingulari ſua gratia, propter merita Dn. *Ieſu Chriſti* in gratiam reſtituere per efficaciam gratię convertentis, deſpicere debemus, quomodo liberum arbitrium ſe habeat in hominis converſione. Exiſtimamus vero, nos, cum Theologis prę alijs Orthodoxis, convenienter hoc explicaturos eſſe per ſequentes aſſertiones. 1. Nemo ad Deum converti poteſt, quibuſcunque adhibitis externis mediis, ut prędicatione Evangelij, imo ipſis quoque miraculis, niſi Deus efficacem operationem ſuæ gratiæ adhibeat. 2. Hæc gratia non habet à libero arbitrio aut eſſendi aut operandi modum naturalem & congenitum. 3. Et conſequenter, non poteſt fidei habendæ poſſibilitas ſuſpendi à conditione humanæ voluntatis, ſe Deo ante acceptam fidem ſubjicientis. Convenienter Fulgentius lib. 1. de verit. Prædeſtini. *Deus qui voluntatem præparat, ipſe eam donat: quam ſi Deus per ſuam gratiam homini non dederit, nunquam poteſt homo in Deum velle credere.* 4. Cum hac gratia, atque ſecundum eam, ut operatur Sp. Sanctus, ita modus ſecundum quem peccatorem convertit, non eſt ſolum moralis quædam ſuaſio; ſed modus agendi Phyſicus: adeo, ut Spiritus Sanctus non modo debeat agnoſci αἰτία συμβουλευτικὴ (ut Gręci Philoſophi loquuntur) ſed ὄντως, atque re ipſa. Unde & Chriſtus dicit Joh. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* & verſ. 65. *Nemo poteſt venire ad me, niſi ſit ipſi datum à Patre meo.* 5. Nec hęc gratiæ, ſimulque Spiritus Sancti ſecundum illam operatio, irrita reddi poteſt per reſiſtentiam completam voluntatis: ſed ſemper certo, imo infallibiliter effectum ſuum producit, cum tollat non modo reſiſtendi facultatem, ſed & reſiſtendi voluntatem. Nam, ut ſecundum Paulum Phil. 2. 13. *Deus eſt, qui efficit & velle & perficere.* Sic *dedit reſipiſcentiam Iſraëli*, Act. 5. 31. atque

Act.

Act. 11.18. *Deus gentibus dat reſipiſcentiam.* Ideo Paulus 2. Theſſ. 1.11. erat, *ut Deus compleat potenter* (ἐν δυνάμει) *opus fidei.* 6. Nec tamen hæc operatio Dei, libero hominis arbitrio adverſatur, aut voluntatem ejuſdem cogit, multo minus (prout quidam calumniantur) hominem in truncum aut lapidem transformat, adeo ut τὸ credere non ſit hominis, ſed Dei; ſiquidem Deus nec tollit vel προαίρεσιν, vel ſpontaneitatem, vel modum agendi naturæ rationali convenientem: quod enim ſupra, Th. 39. adducto quoque Auguſtino diximus, hic ſedulo notari debet. Atque hinc Scriptuaa (præ alijs textibus ſequentes conſiderentur, Eph. 1. 7. verſ. & 18. Phil. 2. 13. Jerem. 20. 7.) ſolita eſt, libertati voluntatis ſociare invictam gratiæ neceſſitatem: Ut innuat nos converti & potentia ſumma & gratia ſuaviſſima, non quidem invitos, ſed tamen ab invicto Deo: adeo ut non male alicubi Proſper dixerit: *Gratiam eſſe voluntariam & ſuavem ſpontaneæ obedientiæ creatricem.* Et Auguſtinus Tract. in Johan. *Nolite cogitare invitum trahi. Trahitur animus & amore.* Adeo ut hic tractus non ſit violentus, ſed invictus. 7. Diſtingui tamen debent in converſione hominis, duo momenta non tempore, ſed ratione diverſa: prioris reſpectu mere paſſive ſe habet homo, quatenus vires accipit: poſteriori reſpectu non ſolum paſſive, ſed & active, quatenus vires acceptas eodem momento exercet: quemadmodum Lazarus, vitam adeptus & per verbum admonitus, eodem momento reſurrexit. Pulchre Hugo de Sancto Victore lib. de Sacram. fidei, pag. 242. *Gratia reparatrix* (inquit) *bonam voluntatem aſpirat, ut ſit; deinde bonæ voluntati inſpirat, ut moveatur: primum operatur eam, deinde per eam.* 8. Mirum vero foret, ſi voluntas per ſe agat libere, & Deo illam agente, eadem libere non ageret. 9. Ut vero Deus ſimul & in intellectum & voluntatem agit, per illius illuminationem hanc efficaciter convertendo; voluntas cum intellectu & ſecundum eum, cæterum ſub efficaci directione Sp. Sancti, ita ſe determinat, prout jam antea expoſuimus.

XLV. Cum autem homo ἐκ μέρους ſolum reſtituatur, in

eo etiam ut regenito (loqui ita fas ſit) mixta principia reperi-
untur, & conſequenter mixti actus, adeo ut aliquando opere-
tur ſecundum reliquias naturæ corruptæ, aliquando ſecundum
impulſum naturæ reſtitutæ. Unde & in eo occurrit duplex in-
clinatio, una ad bonum, altera ad malum: licet hęc ſit partia-
lis & temporaria: ſiquidem, ut Spiritus certo obtinebit victori-
am, ita etiam ſemen fidei, ſive habitus boni infuſi per Spiri-
tum regenerantem permanent in regenito, etiamſi illorum a-
ctus multoties interrumpantur. Adeo, ut non modo hinc pro-
veniat certitudo objecti, quę eſt perſeverantia Sanctorum: ve-
rum etiam ſuo modo certitudo ſubjecti, ſive perſeverantis; ut
latius è Scriptura à Theologorum filiis declarari ſolet. Cæte-
rum, utro modo regenitus agat, ſive ſecundum carnem cum ſuo
dolore, ſive ſecundum Spiritum ex gratia, non niſi libere agit.
Interim gratia non modo neceſſaria eſt ſub initium converſionis;
verum etiam peculiariter quoque requiritur, à parte hominis jam
reſtituti, ad eliciendas bonas actiones: nam, ut recte alibi mo-
nuit Auguſtinus: *Qui prævenit nolentem ut velit, ſubſequitur volen-
tem ne fruſtra velit.* Unde & Chriſtus ſuis diſcipulis jam conver-
ſis Joh. 15. 2. dixit: *Sine me nihil poteſtis.* Semper vero hominis
regeniti actio, ſive ſecundum gratiam Spiritus, ſive, ſecundum
reliquias carnis conſideretur; (prout jam dictum) voluntaria
& libera eſt. Nec contrarium docet Paulus ad Rom. 7. ubi, ut
ſe tanquam regenitum exhibet, ita verſ. 19. dicit: *Non enim fa-
cio bonum quod volo: ſed malum quod nolo, hoc ago.* Neque enim ita
loquens, ſimilem ſe Socrati exhibet, qui apud Laërtium contendit,
neminem, qui modo rectum judicium de re aliqua habeat, aliud
quid poſſe agere, quam quod bonum ſit, atque ſi aliud agat,
agere invite per ignorantiam. Contra quod Ariſtoteles diſpu-
tat lib. 7. Eth. cap. 2. Nec etiam Apoſtolus ſimulat ſe Stoicum,
ex quorum mente ſic loquitur Seneca ep. 52. *Quid eſt hoc, Lu-
cili, quod nos alio tendentes alio trahit, & eo unde recedere cupimus,
impellit? quid colluctatur cum animo noſtro, nec permittit nobis quid-
quam ſemel velle? Fluctuamus inter varia conſilia: nihil libere volumus,*

nihil

nihil abſolute, nihil ſemper. Illud ipſum, quod Paulus teſtatur ſe nolentem feciſſe, faciebat libere. Atque notanda hic eſt Scripturæ phraſis, ſecundum quam *nolle* idem ſignificat atque non approbare, *velle* vero idem quod probare. Notus Textus Matth. 27. 43. ubi & verbum θέλειν non minus ſingularem habet conſtructionem, quam quod locus hic ſit deſumptus ex Pſal. 22. 9. Similiter Pſ. 40. 7. Heb. 10. verſ. 5. 8. quo poſtremo loco, ut Paulus interpretatur locum Davidis ex Pſalmo XL. VIII. 7. ita oſtendit τὸ οὐκ ἠθέλησας, idem eſſe, atque τὸ οὐκ εὐδόκησας. Atque ſic mentem Apoſtoli in loco, quem examinamus, interpretatus eſt Auguſtinus. *Quid eſt aliud,* (inquit) *quam nolo, non approbo, non conſentio, non facio, quomodo dicturus eſt Dominus: Non novi vos.* Scil. ita ſe res habet; regeneratio eſt imperfecta, atque in homine regenito occurrunt ſpiritus & caro, ἄσπονδον πόλεμον exercentes: ſic tamen, ut mens, ſæpe auſcultans ſuggeſtionibus carnis, ad hujus obſequium voluntatem componat, quod, poſt ſerium examen (plusquam quotidianum hoc eſſe deberet) cognoſcat ſe illud voluntati, ad exſequendum præſcripſiſſe, quod alias non approbat. Interim actio illa ſecundum carnem, licet diſpliceat homini Spirituali, ratione Spiritus; quoniam tamen exercetur, ſecundum prævium judicium carnis ſcil. quod corruptum omnibus modis, ſpontanea eſt: prout ipſe Paulus innuit Gal. 5. 17. qui locus ex antecedentibus eſt explicandus.

XLVI. Supereſt ſtatus gloriæ, in quo ut electis ſanctificatio ſumme perfecta, ſive, non minus intenſive quam extenſive; aut (ut alij loquuntur) tum ſecundum gradus tum partes contingit; ita ſimul in homine jam τετελειωμένῳ perfectum (id eſt, omnimodo rectificatum) judicium datur, & ſimul liberum arbitrium optime caſtigatum: ſiquidem ſecundum judicium maxime defæcatum, homo, per gratiam & gloriam ſibi jam ut comprehenſori collatam, non modo bonum ſolummodo vult, verum idem etiam vult conſtanter & immutabiliter. In quo ultimo ſtatu, homini, ratione liberi arbitrij, major felicitas obtingit, quam

git, quam habuit ipſe Adamus in ſtatu integritatis. Nam cum Adamus in primo ſtatu (prout eventus oſtendit) peccare potuerit, in glorioſo hoc ſtatu electi Dei filii ne quidem peccare poterunt. Adeo, ut recte Auguſtinus hoc reſpectu in Enchiridio dicat: *Multo liberius erit liberum arbitrium, quia omnino non poterit ſervire peccato.*

XLVII. Atque, ſic homine conſiderato ſecundum omnem ſuum ſtatum, ſimul patet, liberi arbitrij perpetuo eandem rationem manſiſſe, atque, ne quidem per Adami lapſum illud in homine extinctum fuiſſe, quod ei, tanquam creaturæ intelligenti non poteſt non eſſentiale remanere. Adeo, ut non inconvenienter dicatur ab Auguſtino contra duas Epiſtol. Pelag. lib. 1. cap. 2. *Quis noſtrum* (inquit) *dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano: Libertas quidem perijt per peccatum, ſed illa, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod, natura humana divina indiget gratia: Nam liberum arbitrium uſque adeo in peccatore non periit, ut per illud maxime peccent omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod libet.* Ut vero ab initio creati hominis, ſic poſtea quoque, homine ſecundum quemcumque etiam ſtatum conſiderato, verum eſt, fuit, & erit illud Thomæ Aquinatis, Quæſt. Diſp. de lib. arbit. *Radix libertatis conſtituta eſt in libero rationis judicio.* Quod quomodo plenius intelligi debeat, ex antecedentibus patet. Quandiu ſcil. homo ſecundum liberum rationis judicium agit, atque neque à cauſſa extrinſeca eum cogente, neque objecto, neque ab intrinſeco vim aliquam patitur, ſubjiciendo ſe decreto, concurſui, & prædeterminationi Dei, utpote ſe fortioris, cenſetur ſuas actiones libere exequi. Quod in homine non minus, quam in ipſis pariter Angelis verum eſt: adeo, ut hactenus recte dixerit Bernhardus lib. de Lib. Arbitrio: *Quod libertas non minuatur, nec major in juſto ſit, quam in peccatore, nec in Angelis, quam in homine:* Veriſſimum enim hoc eſt ſecundum eſſentialia libertatis hactenus declaratæ, ſive (ut in Scholis loquuntur) ſecundum libertatem contradictionis, non vero ſecundum libertatem contrarietatis, quam augeri & minui poſſe, quatenus ratione objecti, qua boni, qua mali, à parte ſubjecti, aliæ atque aliæ vires notari poſſunt, ex antecedentibus patet. Et hæc quidem hactenus. Quæ amplius hic dici poſſent, ratione prædeterminationis, alias prolixius examinabimus, ſi voluerit Triunus Deus, cui ut Enti liberrimo, ſit laus & gloria in ſempiterna ſecula, AMEN.

FINIS.

1099. 11
99 959955

Digitized by Google

Digitized by Google